75. Maison du *Coq qui crible,* tenant du levant à la maison où pend l'image *Saint Remy,* tenant au midi à la maison dite le *Jeu de Paulme des violettes.*

Rue de l'École, allant de l'église Saint-Urbain à l'église Saint-Remy.

76. Une maison.

Rue du Marché-aux-Trappans.

77. Maison devant les *Lisses du cimetière Saint-Remy* et tenant à la maison précédente dans la rue de l'*Ecole.*

78. Maison tenant à la précédente.

79. Maison dite la maison *Aux Pies,* donnant d'un bout sur le marché où on vend les trappans, et de l'autre au gué de la porte de *Compostel.*

Rue Surgale, autrement du *Faulcheur prés Saint-Nizier.*

80. Maison à la quelle pend l'image du *Faulcheur* et qui aboutit par derrière au rupt *Merdanson.*

Rue Char-Daniel, aujourd'hui *rue du Singe-Vert, derrière le cœur de Saint-Nicier.*

81. Maison en deux corps de logis, derrière le cimetière Saint-Nicier, elle aboutit par derrière à la rivière.

Rue du Chardronnet (avant 1567) ou de la *Hure* (en 1567) ou des *Deux-Paroisses* (en 1724).

82. Maison allant du pavé royal à la rivière.

Rue de Nervaux, près le Moulin de La Tour.

83. Maison, sous le moulin de La Tour, elle aboutit par derrière aux remparts de la ville.

Près l'église Saint-Denis.

84. Maison dite de la Tour du Chapitre.

85. Maison derrière l'Évêché. M. l'évêque de Troyes l'acheta en 1657 et la fit entrer dans son enclos.

Diverses rentes sur des étaux de bouchers et à la Poissonnerie.

III. *État général peu florissant.*

Malgré les bienfaits de la cour de Rome, de plusieurs princes ou particuliers, le chapitre de Saint-Urbain fut ordinairement gêné dans son temporel. Cette assertion repose sur de nombreux documents. Nous avons dit un mot des trois invasions des religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains contre la collégiale de Saint-Urbain, les dommages furent estimés 100 marcs d'argent (p. 304 et 305), payées seulement en 1283.

En 1268, le comte Thibaut V avait saisi les biens de la collégiale qui étaient dans ses fiefs et domaines.

Au mois de juillet 1290, les monitions canoniques sont adressées à l'abbesse et aux religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains, qui avaient causé de grands dommages à la halle d'Ypre, à Troyes, qui appartenait à la collégiale (p. 312).

L'an 1295, les biens de la collégiale étaient en saisie royale (p. 313).

Le 24 novembre 1290, Jean de Gisors, collecteur papal, estime les revenus de la collégiale à 320 livres (p. 312).

Le 2 février 1334 (*v. st.*). Ego Johannes de Allemante, canonicus Trecensis, collector decimalis decime pro subsidio Terre Sancte et passagio Ultramarino a Sede Apostolica ultimo concesse, per dominum Trecensem episcopum in civitate et diocesi Trecensi deputatus,

recepi a decano et capitulo ecclesie Sancti Urbani Trecensis XVI l. Turon. pro primo termino secundi anni dexanni supradicti. Datum anno Domini MCCCXXXIV, die II mensis februarii.

Le 26 juin 1335. « Johannes de Allemante » il donne la quittance de « XVI l. Turon. pro secundo termino secundi anni dexanni » die XXVI junii anni M CCC XXX V.

Le 12 mai 1344 « Aymericus Helie, canonicus Trecensis, et collector biennii decime civitatis et diocesis Trecensis, domino nostro regi a Sede Apostolica concesse » il reconnaît avoir reçu par les mains du chantre de Saint-Urbain « XVI l. Turon. provinorum, pro primo termino secundi anni, videlicet Ascensionis Domini anni MCCCXLIV. Datum sub sigillo meo in Vigilia Ascensionis. »

Le 17 novembre 1344 « Aymericus Helie » il donne quittance de XVI l. Turon. provinorum, pro secundo termino secundi anni, videlicet Omnium Sanctorum, anni M CCC XLIV.. Die XVII mensis novembris. »

En 1358, la justice de la Potole était tenue en saisie par le bailli d'Isabelle, comtesse de Brienne (p. 323).

L'an 1370, le chapitre de Saint-Urbain faisait reconstruire les maisons rue Notre-Dame, construites sur l'emplacement des halles de Provins, maisons qui avaient été brûlées (p. 324).

D'après le Pouillé de 1407, le chapitre de Saint-Urbain paie XX livres à titre de décimes (*solvunt pro decima* XX l.) ; ces XX livres représentent le dixième de l'estimation officielle du revenu de la collégiale. La valeur de la livre en 1407 devant s'exprimer aujourd'hui par 49 fr. environ, la taxe à XX livres de

décimes en 1407 représenterait maintenant 980 fr. Ce qui mettrait le revenu du chapitre à 9,800 l., estimation faible, mais se rapprochant de celle du pouillé de 1761 qui porte le revenu de Saint-Urbain à 10,000 l.

Dans le rôle des décimes à lever dans le diocèse de Troyes, dressé en 1457 par Jean Pavin et l'évêque Louis Raguier, le chapitre de Saint-Urbain est ainsi taxé : « Decanus et capitulum S. Urbani Trecensis VII l. X s. — Decanus pro decanatu, I l. V s.

En 1463 les chanoines de Saint-Urbain répondent à l'archevêque de Sens qu'ils ne pourraient contribuer au don pour le roi Louis XI, parce que leur église était pauvre et accablée de dettes.

Le 28 août 1482, le chapitre de Saint-Urbain présenta une requête à messieurs de la Chambre des Comptes de Paris, disant que « comme la dite église fut anciennement dotée de plusieurs grands revenus, tant en domaine qu'autrement, dont était entretenu le service divin qui soulait être fait en la dite église et mesmement que les rentes, qui estoient constituées sur les étaux de la Boucherie de Troyes, sont tellement diminuées quelles sont de présent comme de nulle valeur, tant à l'occasion d'une boucherie qui a été érigée de nouvel, comme autrement.. » Ces motifs ont déterminé les chanoines « à cesser en partie le service divin qui soulait être faict en la dite esglyse parce qu'ils n'avaient pas de quoi le faire et entretenir. »

Le vendredi d'après la Purification 1500 (*v. st.*), le chapitre de Saint-Urbain donne pour la décime demandée par le pape l'année précédente 20 écus au soleil et 25 s. ; en 1512, le vendredi après la Saint-Pierre-ès-

Liens, pour les décimes nouvellement imposées par le roi, 34 l.; le 24 juillet 1523, pour le don gratuit, 80 l.; en 1533 pour la double décime demandée au clergé, 31 l. 10 s.; le 2 décembre 1537 pour une triple décime 93 l. 9 s.

Le 12 octobre 1567, le cardinal de Lorraine, présent à Troyes pour fixer la subvention à payer au roi, taxe le chapitre de Saint-Urbain à 6 ou 700 l. Pour payer cette taxe, la collégiale fut obligée de vendre des joyaux de l'église à Nicolas Boulanger, orfèvre à Troyes, jusqu'à la concurrence de 38 marcs, une once, 3 gros d'argent, ce qui monta à la somme de 572 l. 17 s., et fut donné au receveur du cardinal la somme de 600 l. 5 s. Les joyaux qui furent vendus étaient deux anges portant chandeliers, pesant 12 marcs 3 onces et demie.. Item, deux bassins, pesant 4 marcs et demi once.. Item, 2 potets en forme de fioles, pesant ensemble 2 marcs 3 onces et 1 gros.. et autres.

Le Pouillé de 1612 porte la taxe décimale de Saint-Urbain à 132 livres. Ces divers renseignements révèlent un état financier peu florissant (1).

Enfin en 1749, la collégiale était si pauvre et si chargée de dettes que Poncet de la Rivière, évêque de de Troyes, forma le projet de l'unir au chapitre de Saint-Pierre. Mais cette proposision, sur l'avis de Barrin de la Galissionnière, archidiacre de Margerie, fut repoussée par les chanoines de Saint-Pierre (2).

(1) Nous avons extrait ces notes des *Annales* de la collégiale, écrites par Jacques Breyer. (Archiv. de la fabrique de Saint-Urbain et à la Bibliot. de Troyes, ms. de Sémillard, t. I.)

(2) Arch. de l'Aube, *reg.* G. 1311, fol. 274. Mercredi 8 octobre.

XI. *Trésor de Saint-Urbain : inventaires de 1277 et de 1468.*

Le trésor de Saint-Urbain fut principalement formé par la munificence de la cour romaine. Il nous est connu par deux précieux inventaires que nous avons publiés (p. 293 et 331). Le premier fut dressé le 31 mars 1277, à la demande du cardinal Ancher. Dans le cours de l'année 1276, les chanoines de Saint-Urbain avaient été victimes de plusieurs injustices et vols (p. 292), le cardinal craignant pour les objets du culte qui avaient été envoyés de Rome, la plupart avant 1266, en fit dresser l'inventaire officiel en 75 articles, et les chanoines s'engagèrent par serment à ne jamais aliéner (nisi casibus a jure permissis) aucun des objets provenant de la munificence romaine (p. 293). Le second inventaire officiel, comprenant 165 articles, fut rédigé le 26 août 1468 par les marguilliers de Saint-Urbain, sur le commandement du doyen et du chapitre (p. 331). Ces deux inventaires sont pleins de détails d'un grand intérêt au point de vue des vases et ornements liturgiques au XIIIe siècle et jusqu'à la fin du XVe.

XII. Memoriale *ou pancarte des indulgences et des reliques de l'église Saint-Urbain.*

Sous le titre de *Memoriale* nous avons publié la pancarte des indulgences que les fidèles pouvaient gagner dans l'église de Saint-Urbain, et des reliques qu'on y vénérait (p. 351). Cette pièce curieuse établit que la collégiale papale était une des plus riches églises de la chrétienté au point de vue du trésor des indulgences.

La plupart des saintes reliques qui faisaient la gloire du sanctuaire de Saint-Urbain provenaient de Rome. Le *Memoriale* a été analysé dans un petit volume intitulé : *Le Thrésor spirituel caché dans l'église papale de sainct Urbain, pape et martyr, de la ville de Troyes*, par Pierre François de Benoist, prêtre d'Avignon, protonotaire du Saint-Siège (1). Le *Memoriale* des indulgences a été certifié véritable et conforme aux originaux, et le *Memoriale* des reliques a été trouvé conforme aux reliques présentes dans l'église et aux lettres authentiques ou aux anciens inventaires se rapportant aux dites reliques, le 11 décembre 1651, « à la poursuite et diligence de vénérables et discrettes personnes, maistres Remy Pothier, chanoine de l'église Saint-Urbain de Troyes, greffier du chapitre d'icelle, et Jean-Jacques Nivelle, aussi chanoine de la dicte église, et d'iceux assistés par Simon Garsonnot et Nicolas Guyliot, notaires apostolicqs au diocèse de Troyes (2). »

XIII. *Armoiries du chapitre de Saint-Urbain.*

Nous donnons les armoiries officielles du chapitre de Saint-Urbain, enregistrées le 24 décembre 1700 (3).

« D'azur à un saint Urbain, pape, de carnation, vêtu pontificalement, d'or, la tiare en tête, de même; tenant de sa main dextre, élevée, un goupillon d'argent, et de sa senestre une croix, haussée et fleuronnée d'or ; accosté de deux anges, de carnation, affrontés,

(1) A Troyes, chez Chevillot et Jean Blanchard, en la Rue-Moyenne. MDCLII.

(2) *Ad calcem* du *Thrésor spirituel.*

(3) Paris, Bibliot. Nation., *Armor. génér. de France,* vol. Champagne, p. 471, Bureau de Troyes, n° 153.

à genoux, vêtus d'argent, ailés d'or, tenant chacun un encensoir, de même, avec lequel ils encensent le saint. Le tout posé sur une terrasse d'or. »

Ces armoiries représentent le sceau traditionnel du chapitre, mais avec les émaux du blason. Un exemplaire de ce sceau, que nous devons publier, existe pendant à l'inventaire du 31 mars 1277 (p. 293).

NOTA.

Dans les *Titres de la fondation de l'église Saint-Urbain de Troyes, dépendante immédiatement du Saint-Siège apostolique, faite par Urbain IV, pape, natif de Troyes* (1), on trouve plusieurs pièces que nous avons rééditées dans nos chartres. Ce sont : 1° les deux bulles de Clément IV, p. 253, 261 ; 2° la transaction de 1273, p. 282; 3° les deux bulles de Grégoire XI, p. 325, 326.

Jacques Breyer est le véritable auteur des *Titres de la fondation de l'église Saint-Urbain*. D'abord chanoine de la chapelle Notre-Dame de Saint-Étienne, puis chanoine de Saint-Urbain en 1683, Jacques Breyer est mort le 16 avril 1707. Il est l'oncle de Remy Breyer. (Bibliot. de Troyes, *liasse* 2499, lettre à La Ravaillière.)

(1) A Troyes, de l'imprimerie de Jacques Febvre, en la Grande-Rue, MDCLXXXIII.

CARTULAIRE

DE SAINT-PIERRE DE TROYES

---

1. — Vers 1085.

Philippus, Dei gratia Trecensis episcopus, presentibus et posteris salutem. Quoniam apud nos ecclesia Beati Georgii apta erat divino servitio, placuit fratribus Sancti Petri ponere in ea regulares canonicos, quatinus et Deo servirent devotius, et alios exemplo bone conversationis incitarent. Illis ergo attendentibus diversas congregationes istius ordinis, refulsit ecclesia Beati Quintini Belvacensis, ex cujus veneranda religione locus Sancti Georgii posset illustrari. Domno itaque Yvone abbate Trecis, in capitulo Beati Petri residente, hec ratio approbata est, ex utraque parte, ut fratres Sancti Georgii a Beato Petro sua teneant, a Beato autem Quintino regulam, in qua quidem si offenderint, illius sit ecclesie aut aliquid in eis corrigere aut aliquem ex eis transmutare. Si autem aliquis aliquod terrenum adversus eos proclamaverit, ad justitiam veniant in

manu Beati Petri, eos indique patrocinantis. Verumtamen si forte evenerit eam ecclesiam ad aliam transire regulam, ista illi nullam ex tunc habeat subjectionem. Huic autem conventioni interfuerunt fratres : Joannes, decanus ; Gilbertus, archidiaconus ; Guido, archidiaconus ; Theodoricus, archidiaconus ; Arnulphus, cantor ; Hubertus, sacerdos ; Berlandus, sacerdos ; Petrus, levita ; Constantinus, levita ; Girardus, levita ; Gildardus, levita ; Frotmondus, subdiaconus ; Hugo, subdiaconus ; Gilduinus, subdiaconus ; Odo, subdiaconus ; Ansellus, subdiaconus ; Jacellus, cancellarius, manu propria scripsit. — *Cartul.* fol. 43 v°. D'Achery, *Spicilegium*, t. XI, p. 301.

2. — 4 mars 1090 (*v. st.*).

Philippus, Dei gratia ecclesie Trecassinorum episcopus, totius Ecclesie filiis regulariter viventibus et victuris future perfrui regula beatitudinis. Est, fratres karissimi, inestimabilis meriti, nos ea que Dei sunt construere, quia nimirum immensi periculi ea nos, quod absit, destruere : habet enim se ad utrumque justitia, ut bene agentibus reddantur premia, male autem operantibus debita supplicia. Operemur bonum ergo ad omnes, maxime autem ad eum, qui omnium Dominus est, quatinus ad utrumque fervens dilectio nostra, qui facit utraque unum, copulet nos caritatis obsequio. Et quoniam Redemptor noster redemptionis nostre pretium non aliud mise-

ricorditer dedit quam semetipsum, a nobis quidem est ei reddendum, non aliud magis quam nos ipsos ad tante pietatis commercium, quatinus redempti pretioso sanguine ipsius, pretiosa redemptione mereamur per ipsum divine majestati assistere. Verumtamen, quia nimium nos ipsa premit mortalis infirmitas, perfectos etiam terrena inhabitatio multum aggravat, curandum est unicuique summopere pro viribus, sanctorum patrocinia conquirere, ut qui diffidimus ex merito nostro, ad spem misericordie sublevemur, eorum interveniente auxilio. Quapropter, ego Philippus, Dei omnipotentis, cujus nutu sum episcopus Trecensis, horrendo judicio vehementer perterritus, duxi maxime michi necessarium in celesti palatio procurare patronum, illum scilicet martyrem, beatum inquam Georgium : ejus itaque cuidam ecclesie, quam pluribus miraculis Dominus ad laudem gloriosi martyris dignatus est sublimare, ego quidem, ad ejus promerendam gratiam et ad ejusdem loci fratrum humilitatem in ecclesia Sancti Petri concedo prebendam integram atque perpetuam, ut sicut filia alactatur a matre, sic ecclesia illa consoletur ab uberibus consolationis nostre. Et quoniam que ab episcopo fiunt in ecclesia, assensu clericorum stabilienda sunt, ne forte perversa posteritas aliquid contra jus malignetur imposterum, auctoritate sigilli nostri, sigilli etiam capituli Beati Petri, collaudantibus quod feceram communi favore canonicis, confirmo et corroboro. Servitium autem hujus prebende, ita reddetur ut ipsi apud nos sep-

timanam suam faciant, vel fieri faciant ab aliquo sacerdote ex parte nostra. Confirmo etiam eis nominatim ecclesiam Beate Marie de Druto, seu que ab antecessoribus meis sive ab aliis benefactoribus suis, vel in futurum juste et canonice possessuri sint, firma et illibata eisdem permaneant. Super adversarios autem hujus privilegii immitto anathema nostri officii, anathema inquam *Maranata*, quod non dissolvetur per infinita secula. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M° XC°, indict. XIV, regnante rege Francorum Philippo, et me Philippo, Trecensi episcopo, IV nonas martii, residente in capitulo Beati Petri. Nomina fratrum qui affuerunt et laudaverunt hec sunt : Normannus, prepositus; Gisbertus, archidiaconus ; Petrus, archidiaconus ; Guido, archidiaconus ; Joscelinus, archidiaconus ; Hugo, archidiaconus ; Joannes, presbyter atque camerarius ; Berlamus, presbyter atque decanus ; Bochardus, presbyter ; Hubertus, presbyter ; Odo, cantor ; Constantinus, diaconus ; Petrus, diaconus ; Rainerius, diaconus ; Hilduinus, diaconus ; Girardus, diaconus. — *Cartul.* fol. 48 v°. D'Achery, *Spicilegium*, t. XI, p. 302.

3. — 2 avril 1104.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Hugo, comes Dei gratia Trecensis, post vulnerum meorum nimis difficilium afflictionem et eorumdem, Deo medicante, evasionem, perpendens me in plu-

ribus divinam gratiam offendisse, penamque predictam peccatis meis exigentibus me juste promeritum attendens longe majorem promeruisse, de collato michi beneficio a Domini benignitate, videlicet, de reddita michi sanitate, proposui in conferendis beneficiis aliquibus ecclesiis Domino gratias reddere. Et quia bonum desiderium letus debet comitari exitus, testante beato Augustino, qui Dominum orat ut bonis principiis meliores adjungantur exitus, quod in interiori meo votis disposueram exibui effectibus. Dedi igitur ecclesie Trecensi Beati Petri et Sancti Salvatoris libertatem domorum canonicarum, videlicet, ut nemo presumat deinceps eas violare propter furem ibi repertum, nec aliquo modo extrahere ipsum, sed liberum permittere in manu atque nutu canonicorum, nec mensuram vini sive annone falsam accipere ibidem, neque inde extrahere aliquid violentia, nec etiam fugitivum aliquem, nec omnino a canonicis pro re aliqua, neque a domibus eorum exigere aliquam consuetudinem ; servientes etiam qui vivent de proprio victu canonicorum ita liberos efficio, ut etiam si mercatores fuerint nullam michi prorsus vel meis faciant consuetudinem et nullum pro mercatura solvant teloneum. Quod si forte clamor fiat de aliquibus predictorum servientium, nemini respondeant, neque in jus veniant nisi ammonicione canonicorum. Quid plura ? Nullum prorsus michi vel meis faciant servitium. Preterea tres servientes qui custodiunt commune bonum canonicorum, videlicet cellarius et granatarius atque ma-

jor eadem prorsus libertate, que data est predictis servientibus, a me donantur, et de quocumque officio vivant, nullum teloneum, nulla prorsus consuetudo michi vel meis ab eis persolvantur. Decimam etiam mei telonei hujus civitatis supradictis prebeo canonicis ad constituendum aliquid in ecclesia Beati Petri et Sancti Salvatoris, hac conditione, ut inde nichil redigere ad proprios usus liceat episcopo sive canonicis. ✝. Hujus rei testes sunt : Milo, episcopus ; Raynaldus, prepositus ; Girardus, Petrus, Goscelinus, Drogo, Anselmus, archidiaconi ; Gosfridus, dapifer ; Guido de Wangeruco, Galcherius de Firmitate, comes Andreas de Rameruco, Ebrardus de Firmitate, Andreas de Baldemento, Pontius de Mareio. Actum Trecis, anno millesimo centesimo quarto, ab Incarnatione Domini, quarto nonas aprilis, indictione duodecima ; residente Richardo cardinali in supradicta ecclesia, in sinodo ; presente Manasse, Remensi archiepiscopo ; et Manasse, Suessionensi episcopo ; et Hugone, Cathalaunensi episcopo ; et multis aliis conprovincialibus episcopis. Presente etiam Damberto, Senonensi archiepiscopo ; et Yvone, Carnotensi episcopo ; et Johanne, Aurelianensi episcopo ; et multis aliis conprovincialibus episcopis. Presente quoque Radulfo, Turonensi archiepiscopo ; et Marbodo, Redonensi episcopo, et multis aliis conprovincialibus episcopis ; regnante Philippo, Francorum rege ; Milone, urbis Trecorum episcopo, existente ; Hugone ejusdem comitatum obtinente. — *Cartul.* fol. 48 r°. *Origin.* liasse G-2608.

4. — Vers 1104 ?

Quoniam Sanctorum Patrum precipit institucio et firmat auctoritas quia beneficia que dantur ecclesiis, ut firma et rata permaneant, debent adsignari monimentis litterarum, ut sic tradantur memorie posterorum : idcirco nos morem patrum sequentes, beneficia, que Hugo, comes Trecensis, ecclesie B. Petri Trecorum pro redemptione anime sue contulit, harum litterarum notulis assignare curavimus, ut sic horum memoria beneficiorum nostris commendaretur sequacibus. Omnibus igitur scire volentibus innotescat Hugonem, Trecensem comitem, tam Veteris quam Novi Testamenti institutis, que dari rerum decimas precipiunt, instructum, totius telonei Trecarum ecclesie S. Petri decimam concessisse. Sed quia ministri principum solent res etiam bene institutas quabusdam versutiis defraudare, timens ne in futuro inde oriretur impedimentum ecclesie, Deo sibi divinitus inspirante, quod prius instituerat in melius ad ecclesie commodum voluit adfirmare. Totum igitur teloneum et justiciam, preter membrorum truncationem, que ad clerum non pertinet, decimi fori, ex quo in die veneris inciperet quoadusque die sabbati terminaretur, idem comes prefate contulit ecclesie, qui sue prudentie discretionis sic istam distinxit elemosinam, ut due partes impenderentur necessariis ecclesie; tercia vero parte ejusdem ecclesie reficerentur officine. Statuit autem, ne

qua dissensio oriretur de susceptione hujus elemosine, quatinus hoc beneficium susciperet minister ecclesie. Et quia quod ecclesie contulerat voluit testibus confirmare, ad hujus astipulationem beneficii isti legitimi testes fuerunt adhibiti : Andreas, comes de Rameruco ; Wido de Wangionisrivo ; Gosbertus dapifer ; Airardus, comes Brenensis ; et frater ejus Milo, comes Barrensis ; Goffridus, filius Hottranni ; Hottrannus filius ejus ; et de servientibus comitis : Lanbertus, prepositus ; et Falco, filius Engermeri ; Evrardus, filius Burdini ; Walo, filius Fromundi. — *Cartul.* fol. 43 r°. — *Origin.* liasse G-2608. — Le sceau est fixé sur le parchemin, le contre-sceau pend à un lemnisque de parchemin.

5. — Au plus tard 1121. — « Lettres scellées du sceau de l'évêque Philippe et de celui du comte Hugues, par lesquelles Rainaud, vicomte de Troyes et prévôt de cette église, donne à l'église de Troyes la seigneurie de Vannes, pour en jouir en toute liberté comme lui et ses prédécesseurs en ont joui avec tout son domaine et ses dépendances. Ladite donation faite pour le salut de son âme et de celles de ses prédécesseurs, du consentement du comte Hugues, duquel cette terre était tenue en fief. » — *Cartul.* fol. 52 v°.

6. — 1081-1121.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod Philippus, Trecensis episcopus, ecclesiam Sancti Remigii, et ecclesiam Sancti Nicecii, et ecclesiam Sancti Dionisii, et ecclesiam Sancti Martini de

Molceio, Deo inspirante, ab omni exactione, sive consuetudine, canonicis Beati Petri Trecorum, in manu capituli ita liberas esse concessit, quod sacerdotes, qui istis ecclesiis deservient, de manu fratrum, qui archidiaconatum civitatis habent, curam suscipiant, et ab ipsis ponantur in ecclesiis et ejiciantur eorum arbitrio, neque de justicia, neque de forifacto, neque de consuetudine aliqua, episcopo, sive archidiacono, sive decano respondeant, nisi tantummodo Capitulo. Si quis autem, instinctu diabolico, quod absit, hujus donum libertatis infringere, vel inmutare presumpserit, super ipsum, quicumque sit ille, sententiam dedit anathematis. Hujus rei testes sunt : Raynaldus, prepositus ; Wido, archidiaconus ; Odo, archidiaconus ; Teobaudus, archidiaconus ; Manases, archidiaconus ; Odo, cantor ; Hugo, sacerdos, decanus ; Burdinus, Gislebertus, Fulco, Walterus, Teodericus, Tegerus, Girulfus, Robertus, Raynaldus, Hatos, Henjorannus, Petrus ; Anselmus, nepos ejus ; Poncius. — *Cartul.* fol. 50 r°. — *Origin.* liasse G-2577.

7. — Entre 1125 et 1133. — « Le comte Thibaut (IIe de Champagne, IVe de Blois) confirme à cette église toutes les libertés et indemnités accordées par son prédécesseur le comte Hugues, à savoir, la liberté du cloître ; la liberté des serviteurs du Chapitre, et en particulier du cellerier, du grenetier et du maire ; les droits de tonlieu et de justice (cfr. n°s 3, 4, 8). » — *Cartul.* fol. 55. r°.

8. — 28 août 1133.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Odoni, preposito Trecensi, et canonicis tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Clerici qui in sortem Domini sunt vocati, quanto familiarius omnipotenti Domino adherere noscuntur, tanto eos esse convenit tam ab exactionibus liberos quam a pravorum hominum inquietatione securos. Equum est enim ut quemadmodum in spiritualibus sacrosancta Dei Ecclesia sine ruga et macula et scismate in unitatis perpetue splendore clarescit, ita in temporalibus nullis, vel in se, vel in membris suis, gravaminibus affligatur, et qui ejus sunt servitio mancipati, nullas injurias, nichil extraordinarium patiantur. Ideoque sancti patres a longis a retro temporibus mundum in maligno esse positum cognoscentes, rationabili discretionis consilio decreverunt, ut ecclesie et possessiones et bona earum immunitatis defensione gauderent, et quanto ampliori libertatis prerogativa decorate fuissent, tanto ipsarum ministri ferventius in divini cultus amore persisterint, quam nimirum inmunitatem intemeratam opportet modis omnibus illibatamque servari. Ne quis forte, si eam infringere attemptaverit, inveniatur, quod absit, ecclesiastica statuta contempnere et tanquam sacrorum decretorum et canonum violator, et transgressionis reus non inmerito judicetur. Quia ergo sicut Apostolus protestatur *ubi Spiritus, ibi libertas*, ut quietius valeatis famulatibus

divinis insistere, libertates omnes a fratre nostro bone memorie Philippo, Trecensi episcopo, in quatuor ecclesiis, videlicet, Sancti Remigii, Sancti Nicecii, Sancti Dionysii, Sancti Martini de Molceio, rationabili vobis donatione concessas; inmunitates etiam ab illustri viro Hugone, Trecensium comite, devota liberalitate donatas, et a carissimo filio nostro Blensensium comite Teobaldo firmatas, tranquillitati vestre paterne affectionis intuitu providentes, auctoritate vobis Apostolica confirmamus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat vos aut ecclesiam vestram super hoc de cetero infestare, aut aliquam vobis exinde perturbationem vel gravamen inferre, sed liberi et quieti, quemadmodum supra dictum est, permanentes, omnipotenti Domino vota vestra pacifice persolvatis. Si quis igitur, hujus nostre constitutionis tenore perspecto, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, beatorum apostolorum Petri et Pauli indignationem incurrat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini, redemptoris nostri Jhu Xpi, alienus fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat; observantes autem omnipotentis Dei et eorumdem apostolorum benedictionem et gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen. Ego Innocentius, catholice Ecclesie episcopus. *Monogramme*: Bene valete. † Ego Guillielmus, Prenestinus episcopus, subscripsi. † Ego Hubertus, presbyter cardinalis, tituli Sancti Clementis, subscripsi. † Ego Lucas, presbyter cardi-

nalis, tituli Sanctorum Johannis etPauli, subscripsi. † Ego Romanus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Porticu, subscripsi. † Ego Gregorius, diaconus cardinalis Sanctorum Sergii et Bachi, subscripsi. † Ego Guido, diaconus cardinalis Sancte Marie in Via Lata, subscripsi. † Ego Oddo, diaconus cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum, subscripsi. † Ego Guido, diaconus cardinalis Sanctorum Cosme et Damiani, subscripsi. Datum Brixie, per manum Almerici, sancte Romane ecclesie diaconus cardinalis et cancellarius, V kal. septembris, indictione X, Incarnationis Dominice anno M° C° XXX° III°, pontificatus vero domni Innocentii pape II anno III°. *Dans le cercle concentrique :* SCS. Petrus, SCS. Paulus, Innocentius papa II. *Légende :* adjuva nos Deus salutaris noster. — *Cartul.* fol. 36 v°. *Origin.* liasse G-2577. — La bulle était sur fils de soie jaune.

9. — Avant le 17 juillet 1140-1142.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Hato, Dei gratia Trecensis ecclesie humilis minister, omnibus fidelibus in perpetuum. Summa Dei virtus sapienter cuncta gubernans, ad informationem humane vite misericorditer veniens, prudenter hoc providit, et juste pieque ordinavit, ut qui ecclesiasticis sunt intenti servitiis, ecclesiasticis jure prosequantur beneficiis. Quicquid ergo ad utilitatem servorum Dei efficere contendimus, profuturum nobis ad eternam beatitudinem promerendam confidimus.

Quocirca notum fieri volumus, tam presentibus quam futuris fidelibus, quod karissimi nostri fratres Cluniacenses, ad nos humiliter accedentes, petierunt, ut pro amore Dei aliquod beneficium illi sanctissime domui Cluniacensi impertiri dignaremur. Siquidem justa petentibus aures claudere divina pietas non permittit, proinde considerantes piam eorum esse petitionem, illorum petitionibus gratanter annuimus atque ecclesiam de Barbona, ecclesiamque de Lintis et Lintellis perpetuo jure possidendas dedimus et concessimus, ita tamen ut Iterius presbyter, quandiu vixerit, quinque, per singulos annos, solidos Cluniacensi ecclesie de ecclesia de Barbona persolvat ; et nepos meus Wiricus decem solidos in vita sua. Post mortem vero illorum, ille prenominate tres ecclesie in proprium deveniant monachorum, ita ut habeant liberam potestatem eligendi in eisdem ecclesiis idoneos sacerdotes, quos Trecensi episcopo representantes, curam animarum de ejus manu recipiant. Monachi vero de ecclesiasticis beneficiis eisdem presbyteris mensurate provideant. Dedimus etiam ecclesie Cluniacensi, laudantibus et concedentibus clericis nostris, petente hoc atque exigente papa Innocentio, unam prebendam in ecclesia Beati Petri Trecensis in perpetuum tenendam. Quod, ne aliqua temporum vetustate aut personarum varietate mutaretur, vel infirmaretur, jussimus hanc chartam nostri sigilli auctoritate roborari, et nomina idonearum personarum, que interfuerunt, subtitulari. S. Oddonis, archidiaconi ; S. Manasses, ar-

chidiaconi; S. Fulconis, archidiaconi; S. Tegeri, canonici; S. Wirici, nepotis episcopi. — *Cartul.* fol. 37 r°. Migne, *Patrol. lat.*, t. CLXXXIX, col. 1065.

10. — 1145.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Hato, divina miseratione Trecensis ecclesie humilis minister omnibus catholice matris Ecclesie filiis imperpetuum. Amicis sponsi vicarius Jhu Xpisti hoc potissimum incumbit, hoc pre omnibus est necessarium ut sponsam Agni immaculati, quam sanguine proprio sibi vindicavit, quibus possunt modis confovendo studeant credite dispensationis honorificare ministerium. Ea propter, cum ecclesia Trecensis in diebus sacerdotii nostri et indigentia servitorum suorum miserabiliter esset attrita, pie compassi fuimus, non sine multo merore, non sine multa cordis angustia, antiqua enim famosioris ecclesie nobilitas data erat in contemptum, gloria in confusionem, filiorum frequentia super quorum assiduitate jocondari consueverat versa erat in solitudinem, forinsecis quidem et extraneis quos habebat canonicos non que Dei sed que sua erant querentibus et debiti servitii honorem matri sue nequaquam reddentibus. Participato itaque cum sapientibus personis consilio, post multas et a pluribus annis protractas canonicorum nostrorum postulationes, statuendo statuimus, assentiente et quod fecimus confirmante religioso ac venerabili viro Alberico, Hos-

tiensi episcopo, Sedis Apostolice legato, ut qui de cetero in ecclesia nostra canonicarentur, nisi ad ecclesie servitium stacionarios se ipsos exhiberent, nichil de prebendali beneficio preter ~~XX~~ solidos annis singulis reciperent, exceptis duntaxat Cluniacensibus, quibus, ad prefati legati petitionem, in ecclesia nostra prebendam concessimus. Preterea adiciendo adicientes prohibuimus ne unquam ulterius, quacunque occasione vel pro qualibet persona, de communitate fratrum singularis fieret vel daretur alicui prebenda. Hoc autem totum, ut non solum inter presentes sed etiam apud futurorum posteritatem ponderis sui tenorem inrefragabiliter obtineret, auctoritate Dei et domini legati et nostra voce propria, fratribus universis corde et ore consentientibus, anathematis sententiam in eos promulgavimus, qui quocumque tempore quocumque modo, quod pietatis intuitu decrevimus, permutarent, aut, quod absit, in irritum revocarent, salva nimirum Apostolice majestatis reverentia. Presentem itaque paginam, ad nostre constitutionis munimentum, sygillo domini legati et nostro proprio et communi fratrum sygillo confirmantes, roboravimus, subscriptis personarum, que interfuerunt et approbavere, nominibus. S. domini Alberici, legati; S. Hatonis, episcopi; S. Theobaldi, abbatis Sancte Columbe Senonensis; S. Guillermi de Sancto Martino; S. Ewbrardi de Sancto Lupo, abbatum; S. Hugonis de Criciaco; S. Balduini Noviomensis decani; S. Odonis, prepositi; S. Manasse. Item Manasse, Odonis,

Falconis archidiaconorum ; S. Burdini, Guarneri, Stephani, presbiterorum; S. Petri, Drogonis, diaconorum ; S. Tegerii, Petri, Guerrici, Hilduini, subdiaconorum. Actum Trecis in sollempni capitulo, anno ab Icarnatione Domini ~~Mº Cº XLº~~ quinto. Gibuinus, cancellarius, scripsit et recognovit. — *Cartul.* fol. 39 rº. — *Origin.* liasse G-2573.

11. — Au plus tard 1146.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Amen. Hato, divina miseratione Trecensis ecclesie humilis minister, omnibus sancte matris Ecclesie filiis tam posteris quam presentibus, in perpetuum. Quoniam hominum actiones, multiplici annorum revolutione decursa, facile a memoria labuntur, nisi scripto commendantur ; quam, pro remedio anime nostre providimus, elemosinam, presenti carta confirmare studuimus. Nos siquidem ecclesiam sancti Aventini de Creneio, cum omnibus pertinenciis suis, assensu karissimi archidiaconi nostri Manasse de Villemauro, libere et absolute possidendam concessimus filiis nostris canonicis, videlicet Sancti Petri ecclesie Trecensis, ita duntaxat quod nec circadas, nec exactiones, nec redditus sinodales, imo, nullam consuetudinem episcopo vel cuilibet persone, quocumque modo, vel occasione, persolvat. Preterea, liberalitate pontificali concessimus ut prefati filii nostri plenam habeant facultatem eligendi in prefata ecclesia presbiterum, cura animarum a nobis et successoribus

nostris investiendum. Porro, ab ipsis electum et a nobis investitum ut revera sibi penitus obnoxium et subditum perpetuo jure possideant, sed de proprio tantum ordine nobis responsurum. Hoc autem sigilli nostri impressione et testium subnotatione qui interfuerunt roborare curavimus. Actum est Trecis, in capitulo Sancti Petri, astantibus supradicte ecclesie fratribus, et aliis quam pluribus. S. Odonis, prepositi; S. Manasse de Villemauro, archidiaconi; S. Guidonis, archidiaconi; S. Manasse de *Rumilli*, archidiaconi; S. Farconis, archidiaconi; Burdini, Gisleberti, Garneri, Hugonis, Stephani, presbiterorum; Galteri de Fusseio, Drogonis, diaconorum; Teoderici, Tegeri, Girulfi, Galteri, Petri, Engeranni, Odonis, Wirrici, Petri, Engermeri, subdiaconorum, Ego Gibuinus, cancellarius, scripsi et subscripsi. — *Cartul.* fol. 38 v°. — *Origin.*

12. — 16 août 1147. — « Eugenius, episcopus, servus servorum Dei. » Le pape confirme la décision d'Atton, évêque de Troyes, déjà approuvée par Albéric, évêque d'Ostie, légat (voir plus haut n° 10), et aux termes de laquelle ceux des chanoines de Saint-Pierre qui ne seront pas assidus au service de cette église ne toucheront que 20 sous par an sur les fruits de leur prébende. « Datum Altissiodori XVII kal. septembris. — *Origin.* liasse G-20.

13. — 1147.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Henricus, sancte Dei Trecensis ecclesie episcopus, omnibus

in Xpisto fidelibus tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Notum vobis facere volumus magistrum Petrum Manducatorem, clericum nostrum, post reditum nostrum de Hungaria supplici devotione et per interventum venerabilis fratris nostri Alani, abbatis de Arripatorio, nos rogasse quatinus ei ecclesiam de Arbrossello habendam concederemus. Cujus petitioni prebentes assensum, prefatam ecclesiam eidem Petro dedimus, assensu filii nostri Manasse, archidiaconi, ab omni exactione liberam et absolutam, salvo tantum jure episcopali, videlicet circadiis et synodis, liberam etiam electionem presbiteri in eadem ecclesia sibi concessimus. Quod, ne vetustate deleretur, in presenti pagina scripto mandavimus. Ut autem ratum et inconcussum maneret, sigilli nostri firmavimus impressione, subtitulavimus et nomina testium qui interfuerunt : Evrardus, abbas Sancti Lupi ; Alanus, abbas de Arripatorio ; Odo, prepositus ; Guirricus, archidiaconus ; Petrus, decanus ; Stephanus Lupus ; Rainerus de Brena. Actum est hoc anno quo piissimus rex Francorum Ludovicus contra Sarracenos iter aggressus est. — *Cartul.* fol. 59 v°. — *Origin.* liasse G-2558.

14. — 1148-1153.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Godefridus, Dei miseratione humilis minister Lingonensis Ecclesie, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Noverit tam presens etas quam secutura

posteritas, quod Helisabeth, mater Milonis, comitis Barensis, et ipsius uxor, nomine Agnes, dederunt majori ecclesie Beati Petri Trecensis, pro celebrando singulis annis predicti comitis anniversario, et pro ejus memoria in processione singulis diebus dominicis facienda, solidos quadraginta, qui uno quoque anno solventur canonicis in festo sancti Remigii, de censu Ville Nove, que juxta Barum sita est, in episcopatu nostro. Preterea laudaverunt et concesserunt canonicis, quod duo homines Beati Petri, commorantes apud villam que dicitur *Corterons*, liberi et emancipati essent, cum filiis et filiabus ipsorum, a justiciis omnibus et serviciis, que idem comes de illic accipere solebat. Porro hujusmodi concessionibus et donis interfuerunt : domnus Henricus, Trecensis episcopus; item Henricus, comes, filius illustrissimi comitis Teobaudi ; et alie plures legitime persone, tam de monachis quam de clericis et laicis. Hoc autem totum ne, quod absit, aliquantenus immutetur aut vetustate temporum, aut invidia vel incuria successorum, pagine presentis auctoritate, sigilli nostri impressione, et personarum que adfuerunt subnotatione roborari precepimus, memorato etiam Trecensi episcopo necnon et comite Henrico, ad servandum tenacius facti hujus memoriam, sigilla propria subponentibus. S. Petri, de Cella ; S. Guidonis, Arremarensis ; S. Evrardi, de Sancto Lupo ; S. Guillermi de Sancto Martino, abbatum ; S. Odonis, prepositi ; S. Manasses de Villemauri, S. Odonis Senonensis, S. Guerrici, S. Gibuini, S. Falconis, archi-

diaconorum. Et de laicis : S. Gauteri, comitis Brenensis ; S. Erardi, filii ejus ; S. Hilduini de Vendopero ; S. Laurencii, filii ejus ; S. Guillermi de Danpetra ; S. Milonis de *Corlaverzi* ; S. Gaufridi Furnerii ; S. Simonis, filii ejus ; S. Garini de *Meri* ; S. Guiardi, prepositi ; S. Hadonis de *Corlendum* ; S. Raineri de Brenna ; S. Bauduini de *Aci* ; S. Tome de Barro ; S. Herberti, fratris ejus ; S. Ade, vicecomitis Barrensis ; S. Gunterii de Busseriis ; S. Guiteri de Merreio ; S. Josselenni ; S. Ricardi, dapiferi ; S. Nicholai, qui tunc erat prepositus. — *Cartul.* fol. 45 r°. — *Origin.*

15.— 1151.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Henricus, divina miseratione comes Trecensis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Notum fieri volo xpistianis omnibus, tam clericis quam laicis, suburbium quoddam Trecis haberi, quod vulgariter Sancti Dionysii burgus appellatur. Porro predecessores mei comites Trecassini canonicis Beati Petri majoris ecclesie prefatum burgum liberum donaverunt, et immune ab omni justitia, et exactione, vel consuetudine, tam ipsorum comitum quam et omnium ministerialium suorum ; latius vero meus bone memorie, excellentissimus comes Teobaudus, quod alii comites donum fecerant, pie laudavit, et proprio sigillo firmavit. Ego etiam, post ipsius discessum, quod ipse laudaverat, satis benigne concessi. Sed

pots aliquantulum tempus, in ira et impetu indignationis, ipso burgo infracto pro captione cujusdam Otranni, qui homo erat episcopi, tandem penitentia ductus, ad vocem et consilium domini Bernardi, abbatis reverendi de Claravalle, veni in capitulum Sancti Petri, ubi, in presentia domini Henrici episcopi, abbatum, clericorum et militum meorum, forisfactum meum humiliter recognovi, et in manu Odonis, prepositi, manu ipsa rectum faciendo totum emendavi, et pro lege quam debebam, Guirrico, archidiacono et camerario, pilleum meum, in hujus facti memoriam, reservandum obtuli et donavi, recognita ad plenum, et ore meo prorsus approbata prefati burgi libertate et immunitate antiqua. Quod ut ratum et inviolabile servetur in posterum, per cartam presentem, et sigilli mei impressionem, et personarum que interfuerunt subscriptionem firmari volui et precepi, scilicet, Henrici, episcopi; Bernardi, abbatis de Claravalle; Ernaudi, abbatis de Bonavalle; Petri, abbatis de Cella; Guillelmi de Dampetra, Ulrici de Monteregali, Hilduini de Vendopero, Raherii de *Vetzui*, Hugonis de Rumiliaco, Odonis de *Pugi*, Gaufridi Furnarii, Mathei de *Toquin*, Petri *Bursault*, Drogonis de Pruvino, Guillelmus, cancellarius, scripsit et recognovit. Hoc autem totum factum est, anno millesimo centesimo quinquagesimo primo ab Incarnatione Domini, quinto kalendas martii. Data Trecis et recoginita. — *Cartul.* fol. 49 r°. — *Origin.* liasse G-3612.

16. — 1151.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, H. Divina annuente clemencia, comes Trecensium palatinus, tam presentibus quam futuris, imperpetuum. Noverit tam presens etas quam secutura posteritas, quod inter Ansellum de Triagnello et canonicos Beati Petri ventilata fuit a multis diebus quedam contro versia, prefato Ansello homines multos et feminas calumpniante et reclamante, quibus investita et possidens erat Trecensis ecclesia. Filii vero Anselli omnes, post decessum patris, pro eadem calumpnia canonicos et terram ipsorum frequentius infestabant. Tandem, auctore ~~Domino~~, et patre meo comite Teobaudo pro anime sue remedio multum insistente, res ex toto pacificata est, et contentio terminata, canonicis solventibus C et triginta libras predictis calumpniatoribus. Illi autem, in presentia patris mei et totius curie sue, guirpierunt quicquid prius adversus cononicos reclamaverant apud Aureumvillare et Sanctum Georgium, et apud *Valent,* et omnibus aliis locis, usque ad Secanam, excepta Falconis commendatione, feminis etiam tribus retentis, quarum hec sunt nomina : Maria de Vado, Teburgis, Dulcis. Hoc autem totum, ne temporum vetustate vel succedentium invidia personarum, quod absit, aliquatenus inmutetur, carta presente et sigilli mei impressione roboravi, et eorum, qui viderunt atque interfuerunt, nomina subscribi precepi.

† S. Henrici, Trecensis episcopi ; S. Evrardi, abbatis Sancti Lupi ; S. Odonis, prepositi ; S. Manasse, archidiaconi ; S. Gibuini, cantoris ; S. Guerrici, archidiaconi ; S. Hilduini de Vendopero ; S. Johannis *Herupel* ; S. Petri *Bursaut* ; S. Guidonis, prepositi ; S. Petri, filii David ; et ex parte illorum : S. Gaufridi Fornerarii ; S. Petri de Tornella ; S. Otranni de Plaxeio ; S. Anselli *Gastable* ; S. Guidonis de *Balchisi* ; S. Hogeri, de *Ulci* ; S. Petri de Gelenis. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo ; X kalend. marcii. Data est Trecis. Guillermus, medicus et cancellarius, scripsit et recognovit. — *Cartul.* fol. 60 r°. — *Origin.* liasse G-3107.

17. — 31 décembre 1152.

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Petro, decano, et canonicis Trecensis ecclesie, tam presentibus quam futuris canonice promovendis, in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere et vigor equitatis et ordo exigit rationis, presertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Idcirco, dilecti in Domino filii, justis vestris petitionibus benigno concurrentes assensu, prefatam ecclesiam, in qua divinis obsequiis mancipati estis, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona per eandem ecclesiam im-

presentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda : archidiaconatum civitatis vestre, qui dicitur archidiaconatus banleie ; decimas vini quas habetis Trecis; ecclesiam de Fontisvenna et decimam ; ecclesiam de Maceio et decimam ; ecclesiam de Moreio et decimam ; ecclesiam de Aurovillari cum villa et decima ; ecclesiam de *Valant* cum villa et decima ; ecclesiam de S. Georgio cum villa et decima ; ecclesiam de S. Saviniano cum villa et decima ; ecclesiam de Capella cum villa et decima ; ecclesiam de Basseio ; ecclesiam de S. Remigio super Barbusiam ; ecclesiam de Rameruco et decimam ; ecclesiam de *Troan,* villam et decimam ; ecclesiam de Manso Tecelini et decimam ; ecclesiam de Corbolio et decimam ; ecclesiam de Donamento et decimam ; ecclesiam de Torceio et decimam ; ecclesiam de Quercu et decimam ; ecclesiam de Bevrona ; ecclesiam de *Rosun ;* ecclesiam de *Alefoi ;* ecclesiam de Creneio ; ecclesiam de Ponte ; ecclesiam de S. Aventino ; ecclesiam de Vaartio. In archiepiscopatu Senonensi : ecclesiam de Gigeo et villam ipsam cum appenditiis suis. Molendina de *Jallart ;* molendina de *Harden ;* molendina Raaldi ; molendina de *Valant ;* molendina de *Villeirs ;* molendina de Gigeo ; villam que dicitur Esginileium et villam que nun-

cupatur *Noe*. Preterea confirmamus vobis et his qui post vos successerint libertatem domorum vestrarum ; et servientium in vestra familia commorantium ; necnon quattuor servientium, qui communi sunt servitio deputati, majoris videlicet, granetarii, cellarii et clausarii ; suburbii quoque, quod burgus S. Dionisii nominatur, quam nobilis memorie comes Hugo, pro anime sue redemptione, concessit, ut scilicet justitie, consuetudini aut exactioni comitis vel ministrorum ejus non debeant ulterius subjacere. Confirmamus itidem vobis tertium thelonei atque justitie decimi fori, ex quo in sexta feria incipiet et in die sabbati terminabitur, quemadmodum vobis antefatus comes concessisse dinoscitur et distinxisse. Ad hec, compositionem illam, que inter vos et dominos de Triagno super his que apud Auream-villarem, Sanctum Georgium et *Valant*, atque in omnibus locis vestris usque ad Secanam sibi competere contendebant, facta est, ratam et inconcussam perpetuis temporibus decernimus permanere ; qui nimirum, centum triginta libris a vobis acceptis, omnia que ibidem reclamabant, excepta commendatione Falconis, tribus illic mulieribus sibi retentis, vobis et ecclesie vestre refutaverunt. Elemosinam quoque quadraginta solidorum de censu Ville Nove, que juxta Barrum sita est, in festo Sancti Remigii, vobis annis singulis persolvendam, quam nobilis memorie Milo, Barrensis comes, pro anime sue salute fecisse dinoscitur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et imminutam futuris temporibus

permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed inconcussa omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva nimirum in prefata ecclesia de Gigeo Senonensis archiepiscopi, et in ceteris episcopi vestri, canonica justitia et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostra constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini, redemptoris nostri, Jhesu Xpi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Xpi, quatenus et hic fructum actionis bone percipiant, et apud supremum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Eugenius, catholice Ecclesie episcopus, subsignavi. *Monogramme :* Benevalete. † Ego Gregorius, presbyter cardinalis tituli Calixti, subscripsi. † Ego Ismarus, Tusculanensis, subscripsi. † Ego Hugo, Hostiensis episcopus, subscripsi. † Ego Aribertus, tituli Sancte Anastasie presbyter cardinalis, subscripsi. † Ego Octavianus, presbyter cardinalis

tituli Sancte Cecilie, subscripsi. † Ego Rolandus, presbyter cardinalis tituli Sancti Marci, subscripsi. † Ego Odo, diaconus cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum, subscripsi. † Ego Gregorius, diaconus cardinalis Sancti Angeli, subscripsi. † Ego Gerardus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Via Lata, subscripsi. † Ego Bernardus, diaconus cardinalis Sanctorum Cosme et Damiani, subscripsi. Datum Laterani, per manum Bosonis, sancte Romane ecclesie scriptoris, II kal. januarii ; indictione XV, Incarnationis Dominice anno M° C° L° II°; pontificatus vero domni Eugenii pape III anno octavo. *Le cercle concentrique porte :* SCS Petrus, SCS Paulus, Eugenius papa III. *Légende :* Fac mecum, Domine, signum in bonum. — *Cartul.* fol. 35 r°. — *Origin.* liasse G-2603.

18. — 1164.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Stephanus, Cluniacensis abbas, venerabili Henrico, episcopo, et Trecensi capitulo, eorumque successoribus in perpetuum. Dignum est, et officio equitatis conveniens, transactiones et pacta, transigentium voluntatibus constituta, ne processu temporis in oblivionem deveniant, fidei committere litterarum. Ea propter, prebendam, quam Cluniacensis ecclesia in ecclesia vestra habebat, vobis, assentiente capitulo nostro concedimus, et donamus et reddimus, absque omni reclamatione, libere in perpetuum pos-

sidendam, et cui volueritis assignandam. Vir autem nobilis, et Ecclesie Dei specialiter devotus Henricus, Trecensis comes palatinus, dedit Cluniacensi ecclesie in eleemosynam in annuis reditibus Sancte Margarete de Campania duodecim libras Pruvinensis monete, utrique ecclesie liberaliter providens, dum et Trecensis ecclesia prebendam suam recepit, et Cluniacensis propter hoc nichil amittit, imo et melius de beneficio communiter consequitur, quod et fructuosius et sibi congruentius esse non dubitet. Retribuat ei qui retribuere potest, et qui in causa, imo et causa est, Dominus Deus. Ne autem nichil mutaretur vel deperiret, sigillo nostro munire curavimus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M° C° LX° IV°, regnante Ludovico Francorum rege, anno XXXI regni ejus. — *Cartul.* fol. 54 v°. — Migne, *Patrol. lat.*, t. CLXXXIX, col. 68.

19. — 1165.

In nomine Sancte et Invidue Trinitatis, ego Theobaldus, Cluniacensis prior, et totus ejusdem ecclesie conventus, Henrico, Dei gratia Trecensis ecclesie venerabili episcopo, et toti ejusdem capitulo in perpetuum. Quoniam quidem dignum est, et officio equitatis conveniens, transigentium pacta et conventiones, ne oblivione possint deleri, litteris et sigillis insigniri et sic ratum credit esse quod tenet. Nos id quod dominus abbas Cluniacensis Stephanus, precibus pii et gloriosi comitis Henrici, de preben-

da, quam habebamus in ecclesia vestra fecit, videlicet quod eam vobis reddidit, cui volueritis assignandam, et laudamus et concedimus et confirmamus ; et licet contra consuetudinem ecclesie nostre, amore tamen comitis dicti, sigilli nostri munimine roboramus. Quia autem providentia sue discretionis sepe nominandus comes, ne preces ejus nos in aliquo gravare viderentur, apud Sanctam Margaretam de Campania beneficium duodecim librarum, sicut ejus in charta continetur, ecclesie nostre singulis annis statuit reddendum. Actum est hoc anno M° C° LX° V°, regnante piissimo rege Francorum Ludovico. — *Cartul.* fol. 56 r°. — Migne, *Patrol. lat.*, t. CLXXXIX, col. 68.

20. — 1167.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Willelmus, Dei gratia Carnotensis electus, Henrico, Trecensi episcopo, totique ejusdem ecclesie capitulo, imperpetuum. Quoniam ea, que ad profectum et notitiam futurorum pervenire debent, inserere scriptis antiquorum consuevit auctoritas, ego Willelmus, eorum exempla imitari dignum arbitrans, dispositionem inter dominum Trecensem episcopum et capitulum, et me, ejusdem ecclesie prepositum, de prepositura factam, memorie scriptorum mandare curavi. De domini itaque episcopi Trecensis, et universi capituli consensu, meaque concessione, statutum est, quatenus prebendam meam inte-

gram, et ecclesie Trecensis preposituram cum integritate honoris, dignitatis et potestatis, in electionibus videlicet, cum justicia claustri et domorum investitura, cum etiam feodorum jure, sicut hactenus me habuisse dinoscitur, quoad vixero, vestre universitatis concessione, libere et quiete possidere ; et ea, que ad jus claustri pertinent, per procuratorem ejusdem scilicet ecclesie canonicorum, michi gerere licebit. Justiciam autem terre et omnium dispositionem exteriorum, et ejusdem prepositure reddituum perceptionem, que propria voluntate mea, et pietatis intuitu, ad consolationem fratrum, capitulo Trecensi misericorditer resignavi, exceptis viginti libris, quas pro redditibus prepositure, vestro consensu, michi retinui, que singulis annis de redditu ecclesie Sancti Remigii, in Nativitate Domini decem libre et decem libre in Pascha, sine dilationis obstaculo michi persolventur : eidem utique capitulo, pro voluntatis et utilitatis sue arbitrio, exercere, administrare, et disponere amodo licebit. Hoc quoque nichilominus premissis annectere curans, quoniam de mea concessione, et communi vestra voluntate, quod post decessum meum, nullus michi substituatur prepositus, immutabiliter una decrevimus : et decretum nostrum tam jusjurandi vestri religione, quam presentis scripti mei attestatione firmavimus. Ut autem hec omnia firma semper et illibata permaneant, presentis scripti munimine, et sigilli mei auctoritate roborare dignum duxi. Hujus rei testes sunt et actores : Henricus, Trecensium

comes; Henricus, Trecensis episcopus; Petrus, decanus; Manasses, archidiaconus; Galterus, cantor; Odo, archidiaconus; Guerricus, archidiaconus; magister Girardus, archidiaconus; magister Bernardus, archidiaconus; Radulfus, Stephanus Giraudi, et Stephanus Lupus, presbiteri; magister Willelmus, Rainaldus, diaconi; Haicius de Planceio, Manasses de Pogeio, magister Stephanus, Rocelinus, subdiaconi; Anselmus de Triagnello; Matheus, Senonensis precentor; Hilduinus, Remensis vicedominus; magister Petrus, et Robertus, et alii quamplurimi. Actum est publice in capitulo Trecensi, anno Domini M° C° LX° VII°. — *Cartul.* fol. 45 v°. — *Origin.* liasse G-2257. Le sceau pendait à des fils de soie rose et jaune.

21. — 1167.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Henricus, Trecarum comes palatinus, presentibus et posteris in perpetuum. Quoniam conditionis humane fragilitas, diversis inclinata miseriis, non potest oblivionis notam evadere, dignum duxi ut, quod honeste et bono zelo facere decreveram, venture posteritati sigillatis apicibus fideliter mandaremus. Noverint igitur universi, quia gravans consuetudo inoleverat in domibus episcopi Trecensis, quod videlicet episcopis obeuntibus, prepositi comitis Trecensis et ceteri ejusdem ministri, quecumque supererant de rebus episcopi ad usum comitis rapiebant; eratque succedentis episcopi multo major desolatio, quam de

rebus ereptis comiti provenisset utilitas. Hanc itaque molestam ecclesie et episcopo consuetudinem divine pietatis amministratione et amore consanguinei mei Henrici, Trecarum episcopi, et pro remedio animarum patris et matris mee relaxans, ipsi episcopo et ejus successoribus libere concessi, ut quicquid infra domos, vel grangias, vel curtes episcopales continetur, vel extra inventum fuerit, ubicumque sint, tam in annona quam in animalibus, jumentis, et pecoribus quibuscumque, quam ceteris quibuslibet mobilibus, exceptis tamen venturis tam segetum quam vinearum, et exceptis redditibus terre et hominum, ipso episcopo obeunte, in opus et adventum intronizandi episcopi à ministris ecclesie cum omni integritate conservetur. Hujus doni testes sunt : Guilelmus, Carnotensis electus ; archidiaconi : Manasses, Guirricus, Girardus, Bernardus, Galterus ; Manasses ; Haytius ; Stephanus ; Ansellus de Triagno ; Petrus Bursaldus ; Guillelmus, marescallus ; Drogo Bristaldus ; Dambertus ; Ertaldus ; Petrus de *Bar*. Data est hec carta manu Guilelmi, cancellarii. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Xpisti M° C° LX° VII°, epacta XXVIII[a] ; concurrente VI° ; indictione XV[a] ; regnante Lodovico, rege Francorum, XXXIIII° regni ejus ; clave existente XXVIII[a], anno ab Adam VI[m] et CCCLXVI. Daniel, sacerdos Xpisti, scripsit. — *Cartul.* fol. 72 r°. *Origin.* liasse G-2608. Le Le sceau manque ; il pendait par double queue.

22. — Au plus tard 1169.

Odo, Dei gratia Senonensis ecclesie decanus et Trecensis archidiaconus, Ha[icio], Trecensi decano, et ecclesie Trecensis communi capitulo salutem. Presentibus litteris vobis significare volui, quod super rebus de *Chige*, vobis post decessum meum relictis, non mutavi propositum, quia quicquid vobis reliqueram tam in pecudibus quam in aliis post excursum vite presentis relinquere decerno, sub hac pacti confirmatione, quod annuatim XL solidos in molendinos de *Chige* assignatos ad anniversarium meum peragendum, propter incrementum prenominate ville persolvetis. Et ne super rebus predictis emergat dissencio, sigilli mei impressione omnis controversie occasio removetur. — *Origin.* liasse G-2759.

23. — 6 septembre 1169. — « Alexander, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Matheo, episcopo, et dilectis filiis capitulo Trecensibus. » Cette bulle confirme « villa que dicitur Sanctus Leo.. *Avenz*, *Lanes*, Angularia, Aquis, Gumereium, Summus Fons.. » elle est reproduite mot à mot (*mutatis mutandis*) dans les lettres de Louis VII (*infra* n° 29), à la fin : « Grangiam etiam Ville Cestini cum appenditiis suis, et decimam a Nochero redemptam. Ecclesiam insuper de Pineio cum pertinentiis suis et prebendas libera donatione vobis nichilominus confirmamus. Decernimus ergo (*ut infra* p. 43). Datum Veneventum, per manum Girardi, sancte Romane ecclesie notarii, VIII idus septembris indictione III Incarnationis Dominice anno M° C° LXIX° pontificatus domini Alexandri III pape in anno X° ». — Archiv. de l'Aube, *vieille copie*.

24. — 1170. — « Rodulfus, prior de Karitate » notifie que « prior Sancti Sepulchri, laudante capitulo suo, et me, et capitulo de Karitate assentiente, dedit canonicis Trecensibus B. Petri domum Rainaldi de Pruvino. » Pour faciliter cet arrangement « Henricus, comes Trecensis palatinus » donne au prieuré de Saint-Sépulchre « X sol. annui redditus, et XX libras » une fois payées. « Testes : Manasses de Villemauro, archidiaconus Trecensis ; Manasses de Pojcio ; Aycius de Planceyo. — *Cartul.* fol. 55. r°. *Origin.*

25. — 18 mars 1170.

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. decano, et canonicis Trecensibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad aures nostras pervenit, quod, cum decanie personatus in ecclesia vestra non fuisset institutus, bone memorie Henricus, quondam Trecensis episcopus, attendens quod honor ille ad decorem et venustatem ipsius ecclesie vestre spectaret, communicato prudentum et religiosorum virorum consilio, loco prepositure decanatum de novo constituit, et ut de cetero nullus substituatur prepositus communi deliberatione decrevit. Unde, quoniam omnis institutio, que noscitur rationabili providentia facta, et ad hornatum pertinet ecclesiarum, per nos debet recipere incrementum, constitutionem pariter et ordinationem memorati episcopi ratam et firmatam habemus, et eam auctoritate Apostolica et scripti nostri munimine roboramus, statuentes, ut nulli omnino homi-

num liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Verulis, XV kal. aprilis. — *Cartul.* fol. 37 r°. — *Origin.* liasse G-2558.

26. — 1170.

Ego Henricus, Trecensis comes palatinus, universis presentibus et futuris notum facio, quod filiam Odonis, monetarii, Odeam nomine, quam Simon Bituriciensis duxit uxorem, ecclesie Beati Petri Trecensis in perpetuam elemosinam donavi, concedens eidem Simoni, et prefate ecclesie, quicquid idem Odo illi in maritagio prefate filie sue donabit. Domum etiam ejusdem Symonis, que Terracia appellatur, liberam esse imperpetuum concessi. Si vero cellarium ibi fuerit, in hac non erit libertate. Quod ut notum permaneat et ratum teneatur, litteris annotatum sigilli mei impressione firmavi. Affuerunt autem hujus rei testes : dominus Manasses de Pugeio ; magister Stephanus Pruvinensis ; dominus Ansellus de Triagnello ; Drogo de Pruvino ; Guillelmus, marescallus ; Artaldus, camerarius ; Matheus ; Manasses de Clauso ; et Guibertus de Barro. Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXX°. Data per manum Guillelmi, cancellarii. — *Cartul.* fol. 50 v°. — Biblioth. Nation. *Titres scellés de Clarembault*, vol. 209, *origin.* fol. 913 r°.

27. — 20 avril 1171-1172.

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. decano, et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. In his, que ab Apostolica Sede requiritis, et pro ministerio nostro et pro devotione vestra hilariter debetis et efficaciter exaudiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, et volentes vobis in posterum precavere, presentium auctoritate duximus prohibendum, ne quis vestrum, cum in episcopum electus vel consecratus fuerit, post consecrationem suam prebendam antehabitam vel alios redditus ecclesie vestre, nisi quos ad jus episcopale constiterit pertinere, ad suos usus valeat retinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam prohibitionis nostre infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Tusculani, XII kal. maii. — *Cartul.* fol. 36 v°. — *Origin.* liasse G-2573.

28. — 1176.

Ego Henricus, Trecensium comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, me canonicis ecclesie B. Petri Trecensis concessisse quod in villa eorum, que dicitur Capella Sancti Petri, non accipiant nisi XV modios avene annuatim de salvamento, ad men-

suram Trecensem, sicut emitur et venditur in foro. Inde tamen excipio terram Beati Petri Celle Trecensis. Serviens autem dictorum canonicorum in predicta villa talliam faciet, presente marescallo Trecensi, si interesse voluerit. Quod si interesse noluerit, non minus propter hoc tallia fiet. Ego quidem in prefata villa nec aliam talliam, nec alias consuetudines habeo nisi solum exercitum meum, in quem homines ejusdem ville mecum ibunt. Hec autem omnia dictis canonicis concessi, salvo per omnia jure marescalli Trecensis. Que, ut nota permaneant et rata teneantur, litteris annotata sigilli mei impressione firmavi. Affuerunt autem hujus rei testes : dominus Manasses de Pugiaco ; Haicius de Planciaco ; Willelmus, marescallus ; et Ertaudus, camerarius. Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXX° VI°. Data per manum Stephani, cancellarii. Nota Willelmi. — *Cartul.* fol. 50 v°. — *Origin.* liasse G-2857.

29. — 1177.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, nos dilecto nostro Matheo, venerabili Trecensi episcopo, ejusque successoribus, que subter annexa sunt imperpetuum concessisse et confirmasse, videlicet, villam que dicitur Sanctus Leo, cum appenditiis suis ; quicquid juris habetis in villa que dicitur *Avenz* ; quicquid juris habetis in villa que dicitur *Lanes* ; quicquid

juris habetis in villa que dicitur Angularia, et insulam que juxta eam sita est, in flumine Alba; villam que dicitur Aquis, cum appendiciis suis, in ea libertate que vobis a dominis de Villamauri concessa est, videlicet, ut cum Trecensem ecclesiam et suo antistite vacare contingerit, domini Villemauri vel ministri eorum, de rebus episcopi vel suorum hominum juridictiones ejusdem ville nichil accipient, sed usibus et dispositioni ejus, qui illic fuerit subrogandus antistes, in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam habetis in villa que dicitur Gumereium; et in villa que nuncupatur Summus Fons, cum jure et libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessoros vestri. Preterea, libertatem vobis et ecclesie vestre a bone memorie comite Hugone concessam, ut scilicet, qui a vobis servientes aliquod publicum officium optinuerint, ab omni justitia et exactione comitum Trecensium, ac suorum ministerialium, quamdiu officium ipsum habuerint, liberi sint et immunes. Adjicientes ut domus episcopales et curtes, cum omnibus in eis contentis in obitu episcoporum illam libertatem obtineant, quam comes Henricus vobis concessisse et confirmasse dinoscitur. Ad hec, unum modium frumenti, quem idem comes Henricus vobis, de molendinis que sub Turre sita sunt, pro hominibus apud curtes Insule habitantibus, dedit, in vigilia Omnium Sanctorum, annuatim persolvendum; et unum sextarium frumenti, in novis molendinis, juxta ecclesiam Sancti Quintini, pro censu quem debet Paganus de Tulo.

Furnum quoque, in Burgo Episcopi, in ea integritate libertatis quam vobis memoratus comes Henricus concessit, et scripto suo roboravit. Centum etiam solidos, quos idem comes Henricus dedit matriculariis ecclesie Sancti Petri, in teloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Granchiam quoque Ville Cestini cum appendiciis suis, que acquisistis et acquirere poteritis. Preterea, honorem de Meriaco, cum casamentis, terris cultis et incultis, fluviis, aquis aquarumve decursibus, pratis, pascuis et nemoribus, servis et ancillis, sicut antecessores vestri a nostris habuerunt. Casamenta etiam que domini de Trianello, castrum videlicet de Venesiaco, cum aliis que ab ecclesia Trecensi habent. Casamenta que Guido de Donpetra et Hugo de Planceo hactenus ab ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam que vicecomes Senonensis et dominus de Chacenaio apud Molendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Averleio ab ecclesia Trecensi tenet. Nichilominus, etiam casamentum quod vicecomes Sancti Florentini ab ecclesia Trecensi habet, cum aliis omnibus que hactenus ecclesia Trecensis habuisse dinoscitur. Hec autem que diximus universa, ut rata perpetuo et inconvulsa permaneant, ecclesie Trecensi indempnitati volentes in posterum provideri, eadem presentis scripti patrocinio regii nominis caractere subter annotato decrevimus communiri. Actum Senonis, anno ab Incarnatione Domini M° C° LXX° VII°, astantibus in palacio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : S. comi-

tis Theobaldi, dapiferi nostri ; S. Guidonis, buticularii ; S. Rainaldi, camerarii ; S. Radulfi, constabularii. Data, vacante cancellaria. *Monogramme :* Philippus. — *Cartul.* fol. 62 r°. — *Origin.* liasse G-2551.

30. — 1178.

Ego Henricus, Trecensium comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, quod duobus sacerdotibus altaris Beati Petri Trecensis custodibus, in augmento beneficii quod eis contuleram, dedi in perpetuam elemosynam XXX sextarios avene in salvamento meo Capelle Sancti Petri, singulis annis accipiendos in festo sancti Remigii, quousque redditum istum eis alibi assignavero. Quod ut notum permaneat et ratum teneatur, litteris annotatum sigilli mei impressione firmavi. Affuerunt autem hujus rei testes : dominus Ansellus de Triangulo ; magister Hugo de *Mont Rampon ;* Willelmus marescallus ; Girardus Eventatus, Tescelinus de *Clairy ;* Artaudus camerarius ; et Leerus Lingonensis. Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXX° VIII°. Data per manum Stephani, cancellarii. Nota Willelmi. — *Cartul.* fol. 51 v°. — *Copie* liasse G-2857.

31. — 27 janvier 1179.

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Matheo, episcopo, et dilectis filiis capitulo Trecensibus, tam presentibus quam futuris

canonice substituendis, in perpetuum. Cum tua honestas, frater episcope, et devotio mereantur, ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius in his que secundum Deum duxeris requirenda deferimus, quanto gratiam Apostolice Sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Ea propter, venerabilis in Xpisto frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Trecensem ecclesiam, cui, auctore Deo, preesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Ad hec, cum de prudentum et de religiosorum virorum consilio te asseras statuisse, ut in ecclesia tibi commissa canonicorum septem ad minus presbyteri et septem diaconi, preter archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus, nulli, nisi presbyteri vel diaconi, aut etiam alii in talibus ordinibus constituti, quod ordinum propinquiori termino qui occurrit ad illos ordines assumantur, debeant subrogari, prestita tamen promissione ac professione de assiduitate in ecclesia predicta servanda. Nos tuis petitionibus benigne, prout decuit, annuentes, constitutionem tuam super his, sicut diximus, factam, ratam habemus et firmam, eamque perpetuis tem-

poribus manere decernimus illibatam, et adjicimus, quod si clerici inferiorum ordinum fuerint substituti, et commoniti, primis Quatuor Temporibus ordines illos non receperint, eis prorsus amotis, alios subrogandi liberam de auctoritate nostra habeas potestatem. Preterea, de tua conscientia et voluntate statuimus, ut canonici in prescripta ecclesia residentes, si qui in tuo vel successorum tuorum, aut etiam ipsius ecclesie servitio fuerint, vel cum licentia tua et capituli scholasticis vacaverint disciplinis, aut fuerint infirmitate detenti, suarum nichilominus integros fructus percipiant prebendarum. Alii vero canonici, qui eidem ecclesie assidue non fuerint, de constitutione nostra viginti tantum solidos habeant annuatim. Ad hec, de auctoritate Apostolice Sedis adjicimus, ut tam a te quam a successoribus tuis in predicta ecclesia, cum decano caruerit, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis Quatuor Temporibus que occurrerint in presbyterum ordinetur. Et si commonitus, in eisdem Quatuor Temporibus eumdem suscipere ordinem forte neglexerit, fas tibi sit et successoribus tuis ei auctoritatem et potestatem illius officii et sedem in choro et in capitulo interdicere. Et si nec sic in subsequentibus primis Quatuor Temporibus ordinem presbyteratus susceperit, eo amoto, libere alium substituere. Nichilominus etiam ut majus altare prescripte ecclesie in majori semper reverentia habeatur, presenti scripto arctius prohibemus, ne ad missarum in eodem altari solemnia celebranda quilibet

admittatur, nisi episcopus, abbas, aut canonicus prescripte ecclesie, seu etiam prior Sancti Georgii, qui specialiter ad eamdem ecclesiam pertinet, aut ejus canonicus regularis idoneus et honestus ab eodem priore transmissus qui sicut ceteri reverenter ibi sacerdotis officium impleat, et fructum prebende, quam habet in ipsa ecclesia, integre consequatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut de ejus possessionibus auferre, vel ablatas retinere vel minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolice Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Xpisti aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jhesu Xpisti, quatinus hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Alexander, catholice Ecclesie episcopus; ego Hubaldus, Hostiensis episcopus; ego Johannes, presbyter cardinalis. Datum Tus-

culano, per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, VI calendas februarii, indictione XI, Incarnationis Dominice anno M° C° LXX° VIII°, pontificatus vero Alexandri pape III anno XX°. — *Cartul.* fol. 54 v°. — D. Martène, *Veter. Script.* t. I, col. 906.

32. — 1179.

Ego Henricus, Trecensium comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, quod Garinus Furnerius de Mairiaco, uxore sua laudante, quicquid habebat apud Capellam Sancti Petri de jure marescalcie dimisit canonicis Beati Petri pro duobus modiis avene, annuatim sibi reddendis usque ad festum sancti Martini. Hoc etiam laudavi, et sigilli mei auctoritate corroboravi ; testibus : Manasse de Pugiaco ; Haicio de Planciaco ; Ansello de Triangulo ; Garnero, fratre ejus ; Willelmo, marescallo ; et Artaudo, camerario. Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXX° IX°. Data per manum Stephani, cancellarii. Nota Willelmi. — *Cartul.* fol. 43 v°. *Origin.* liasse G-2857.

33. — Vers 1181.

Petrus, Dei gratia Tusculanensis episcopus, Apostolice Sedis legatus, omnibus qui litteras istas viderint in Domino salutem. Noverit discretio vestra, quod cum inter venerabilem fratrem nostrum Ma-

nassem episcopum et capitulum Trecensem super villa qne dicitur Venna contentio verteretur, eo quod capitulum villam illam ab episcopo, postquam erat episcopus, nolebat teneri, ne forte a successuris episcopis sub hoc posset occupari pretextu, in hanc formam per nostrum studium est sedata : episcopus, dum vixerit, sub annua pensione octo librarum Vennam pacifice possidebit ; ipso autem viam universe carnis ingresso, villam ad capitulum libera et absoluta, sine contrádictione qualibet, revertetur. Ad hec, terram Fabarum, et homines unde sub annuo canone XX solidorum exolvit ; et terram et homines de Sarcolis, pro quibus ad annum censum X solidorum et modii avene tenetur ; molendina quoque de Valenis, de quibus quatuor modios annone unum frumenti, alium siliginis duos avene, et LXXX pisces annuatim persolvit, sicut et Vennam, dum vixerit, retinebit sub predicta conditione, ad capitulum videlicet post ipsius obitum sine calumpnia reditura. Quod ut ratum permaneat, presens scriptum sigilli nostri impressione duximus roborandum. — *Cartul.* fol. 44 v°. — *Origin.*

34. — Du 10 au 16 mars 1181.

Ego Henricus, Trecensis comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, quod gravi detentus infirmitate, quia homines Trecensis episcopi in talliis et exactionibus, vacante episcopatu, plusquam deberem gravaveram, approbantibus domino et fratre

meo Guilelmo, Rhemorum archiepiscopo, sancte Romane ecclesie titulo Sancte Sabine cardinali, et Maria, charissima uxore mea, et dilectissimo filio meo Henrico, pro salute anime mee et parentum meorum, prefatos homines liberos ab omni tallia et exactione mea et successorum meorum et immunes in perpetuum esse concessi : ita quod, vacante episcopatu, non plusquam CC libras pro tallia de rebus hominum episcopi accipiemus ego vel successores mei, preter fructus qui de propria terra episcopi provenerint, et legitimos ejus redditus secundum quod in scripto meo alio, quod episcopo Henrico indulsi, continetur. Illas autem CC libras, quotiescumque sedes vacaverit, non per nos vel ministeriales nostros, sed per manum decani et capituli Sancti Petri Trecensis recipiemus. Quod, ne temporum vetustate, vel malignantium calumpnia, infringi valeat aut immutari, litteris annotatum sigilli mei impressione firmari duxi necessarium. Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXXX°. Data per manum Haicii, cancellarii. — *Cartul.* fol. 50 r°. — *Origin.*

35. — Du 10 au 17 mars 1181. — La comtesse Marie fait la même déclaration qui est notifiée dans la charte précédente. « Actum Trecis, anno Incarnati Verbi M° C° LXXX°. — *Origin.*

36. — 1182.

Manasses, Dei gratia Trecensis episcopus, totumque Beati Petri capitulum, omnibus tam futuris quam

presentibus ad quos litere iste pervenerint, in perpetuum. Sciant omnes quod dominus Haycius, ecclesie nostre decanus, in ipsa ecclesia quatuor assignavit canonicos presbyteros servitio altaris Beate Marie, et ipsius chori imperpetuum destinatos, qui eidem altari continue servientes, servitium quoque chori et majoris altaris, singuli in ordine vicis sue per septimanas exequerentur, quibus nos dicte ecclesie capitulum XX libras annuorum redditum in perpetuum contulimus beneficium, quarum X libras usque ad festum sancti Martini, et X libras usque ad Clausum Pascha annuatim recipient. In cujus beneficii recompensationem a domino episcopo nostro Manassse C solidos annui redditus, et a dicto decano nostro CC libras ad emendos redditus in augmentationem magnarum prebendarum nostrarum recepimus. Medietatem etiam minutarum partitionum in omnibus proventibus, tam missis quam matutinis, anniversariis et stationibus, eis contulimus, ita scilicet, quod singuli memoratorum canonicorum medietatem canonicalis partitionis, sicut prescriptum est, habebunt, pro quo nostro gravamine a nominato decano CC libras percepimus, de hiis quidem CC libris ememus redditus, qui ad minutas partitiones nostras expendentur. Sciendum autem quod nullus de aliqua prebendarum illarum poterit investiri, quousque ad sacerdotium promotus fuerit, cum vero aliquam earum vacare contigerit reliqui canonici qui supererunt, vacantis fructus prebende, quousque canonicus substitutus sit, percipient. Preterea

adjiciendum est, quod memoratus Haycius decanus, dictis IV canonicis presbyteris in perpetuo jure possessionis dedit duo arpenta et dimidium vinee, que apud Maisnillum habebat, que scilicet emerat ab Alberto de burgo Sancti Dionisii, et duo arpenta que habebat in Colle, que scilicet emerat ab Emelina, uxore Guidonis de *Montefuil*. Statutum est etiam quod nullus prescriptorum IV canonicorum aliam prebendam habere poterit, nec etiam aliquod aliud ecclesiasticum beneficium, propter quod assiduitatem chori, continuumve dicti beate Marie altaris servitium aliquatenus intermittat. Si vero contigerit aliquem eorum aliquod aliud habere beneficium, cui melius ei libeat immorari, hanc prebendam relinquet et capitulum eam alio dabit sine omni contradictione. Hii itaque quatuor canonici cum redditibus prefati altaris et possessionibus quoque suis in manu specialiter et custodia capituli permanebunt. Donatio autem et investitura prebendarum istarum, ad dictum earum primitivum institutorem Haycium, decanum, quamdiu ecclesie nostre canonicus fuerit, pertinebunt; et post eum, ipsarum prebendarum donatio capituli erit imperpetuum, et investientur a decano, nec poterunt canonici illi de beneficiis ejusdem altaris, aliquid vendere vel immutare sive quoquo modo a possessione altaris alienare, nisi de conscientia et assensu capituli. Illud etiam sciendum quod capitulum vacantis prebende donationem ultra tres menses non poterit prorogare, et priusquam aliquis de prebenda investiatur, assiduitatem

in choro et continuum altaris Beate Marie servitium se observaturum proprie manus juramento firmabit. Notandum quidem est, quod si aliqua de causa partitiones ecclesie nostre decidere contigerit, ut scilicet exigente quacumque necessitate beneficium partitionum ad alios usus transferri oporteat, memorati quatuor canonici nullum in hoc habebunt contradictionem, sed licebit capitulo, pro communi arbitrio, de beneficio illo ecclesie necessitatibus, si res exigerit, occurrere. Hujus rei testes : Odo, Galterius, Drogo, Manasses, Hubertus, archidiaconi ; Renardus, Johannes de *Conflans*, Renaudus, presbiteri ; Manasses de *Bucci*, Galterius tunc camerius, Vilelmus, Petrus Potator, diaconi ; Garnerus, Amatus, Arnaudus, Milo de Sancto Albino, Milo de Barro, Johannes, Girardus, Hugo, subdiaconi. Actum in capitulo Trecis, Anno Incarnati Verbi M° C° LXXX° II°. — *Cartul.* fol. 50 r°. — Camusat, *Promptuar.* fol. 180 v°.

37. — 26 mai 1182-1183.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Aicio, decano, et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad hoc gradus in Ecclesia dispositio superna constituit, ut non contra prelatos subditi contumaces existant, nec rursus prelati in opprimendos subditos frustra se valeant occupare : inde est quod, precibus vestris inducti, presentium auctoritate decernimus, ut non liceat episcopo vestro, qui pro tempore fuerit, notoria culpa excep-

ta, aliquam personarum vel canonicorum, sine citatione canonica, et capituli conscientia, excommunicationis vel interdicti vinculo innodare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere vel (Cfr. n. 27). Datum Velletri, VII kal. junii. — *Cartul.* fol. 37 r°. — *Origin.* liasse G-2577.

38. — 26 février 1183.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Haicio, decano, et capitulo Trecensis ecclesie, salutem et Apostolicam benedictionem. Ea, que ad decorem domus Domini, et ordinis ecclesiastici respiciunt honestatem, Apostolico favore nos decet amplecti, et que propter hoc a viris ecclesiasticis laudabiliter ordinantur, auctoritate nostra firmare, ne qualibet ex levitate mutentur, et venustas Ecclesie confundatur. Sane, relationis vestre tenore comperimus, quod cum ecclesia vestra propter canonicorum insolentiam, qui nolebant ad presbyteratus ordinem promoveri, innote persone atque minus idonee passim ad celebrandum in majori reciperentur altari, insistente bone memorie M[anasse], quondam episcopo vestro, apud vos communi fuit assensu statutum, quod, personis extraneis ab ejusdem altaris servitio penitus elongatis, solis abbatibus, canonicis, et matriculariis vestris, et priori Sancti Georgii, qui habet in ecclesia vestra prebendam, in ipso altari divina celebrare liceret, et ne pro ministrorum defectu divina quandoque contingeret officia

pretermitti, preter sacerdotes qui in ecclesia vestra majorem locum habent et officium dignitatum, septem ad hoc canonici simplices fuere presbyteri perpetuo deputati. Attendentes igitur quod ex hac ordinatione honestius Deo servitium impendatur, et ipsius ecclesie consultatur honori, et justis postulationibus vestris grato concurrentes assensu, eamdem ordinationem, sicut de communi assensu rationabili provisione facta esse dinoscitur, ratam habentes, auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Velletri, IV kalendas martii. — *Cartul.* fol. 36 v°. — *Origin.* liasse G-2573.

39. — 2 décembre 1183.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, fratri Manassi, Trecensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolice Sedis benignitate inducimur justas postulationes coepiscoporum nostrorum clementer admittere, et desideriis eorum que consonant honestati facilem prebere assensum. Ea propter, Apostolica tibi auctoritate concedimus ut canonicos tuos, quos idoneos videris, ad presbiteratum suscipiendum vel alios gradus, necessitate vel uti-

litate ecclesie suadente, nullius contradictione vel appellatione obstante, canonica censura compellas. Nulli ergo omnino hominum (*ut supra* n. 27). Datum Anagnie IIII nonas decembris. — *Origin.* liasse G-21.

40. — 9 décembre 1183.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Manase, Trecensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Audivimus et audientes nequivimus non mirari quod laici quidam in claustro vestro domos jure hereditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas clericorum quies inhonesto strepitu sepe turbatur, et devotio populi ne divinis intendat officiis prepeditur. Joculatoribus quidem, aleatoribus, cauponibus et mulieribus impudicis prescripte domus de consuetudine prava locantur. Volentes igitur communi ecclesie honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus ne domus canonicales ulterius laicis vel gratis dentur aut etiam sub quacumque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus quas laici in claustro jure hereditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis inhonestis personis per quas clericis molestia generetur et honestas decoloretur ecclesie, inhabitare noluerint, nonnisi clericis gratis vel pro pretio concedantur. Si vero prohibitioni tue contraire presumpserint, personas alias, quas domos ipsas contra mandatum nostrum inveneris inhabitare, contradictione et appellatione ces-

sante, vinculo excommunicationis astringas, et donec cesserint facias ab omnibus arctius evitari. Datum Anagnie V id. decembris. — *Origin.* liasse G-21.

41. — 1184.

Ego Manasses, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in perpetuum. Notum facimus tam presentibus quam futuris, quod de contentione habita inter nos et capitulum nostrum, scilicet de archidiaconatu banleie Trecensis ; de potestate interdicendi ecclesias in quibus in banleia Trecensis stationes habet ecclesia nostra ; de positione abbatum in sede sua post ipsorum benedictionem ; de presentatione presbiterorum in ecclesiis quas canonici nostri suas esse asserebant ; de custodia thesauri ; ad hanc, mediantibus Manasse, Dei gratia Lingonensi episcopo, et Haicio, decano nostro, venimus compositionem : scilicet, quod concessimus eis in perpetuum de jure prefati archidiaconatus C solidos annuatim, quorum L solidos ego et successores mei reddere tenebimur ad Natale Domini ; L vero in die Resurrectionis. Concessimus etiam eis potestatem interdicendi ecclesias in quibus in predicta banleia stationes habent, si ecclesie ille diebus stationum redditus illis a se debitos non persolvant. Insuper concessimus eis quod auctoritate capituli sui decanus eorum, si presens fuerit, ponere habeat abbates Sancti Lupi, et Sancti Martini, absque omni contradictione, in sede sua,

post ipsorum benedictionem ; illo vero absente, ab ebdomadario majoris prebende canonico, hujus officii dignitas, salvo jure decani, expleatur. Si autem aliquis non majoris prebende canonicus tunc ebdomadarii canonici vicem suppleverit, vel quocumque alio modo subrogatus fuerit, canonicus sacerdos qui ultimo ante ebdomarius extitit, hujus officii dignitatem explebit. Preterea concessimus eis presentationes presbiterorum in ecclesia de *Orviler*, et ecclesia de *Valant*, in ecclesia de Sancto Saviniano, et ecclesia de Capellis ; in ecclesia de *Troan*, et ecclesia de Corbolio. De custodia vero thesauri et de restitutione dampnorum disceptationem relinquimus indeterminatam. Quod ut ratum permaneat et incommutabile, sigilli nostri auctoritate presentem paginam decrevimus esse muniendam. Testes sunt : Galterus, Manasses, Drogo, Herbertus, archidiaconi ; Johannes de Abbatia, Johannes de *Conflanz*, Renardus, Renaudus, presbiteri ; Petrus, Manasses, Guillelmus, diaconi ; Gerardus, Milo, Drogo, Ernaudus, Johannes, Hugo, subdiaconi ; Johannes de *Possesse* et Milo de Sancto Fidolo. Actum Trecis, in capitulo Beati Petri anno ab Incarnatione Domini M°C° LXXX° IIII°. — *Cartul.* fol. 40 r°. — *Origin.* liasse G-3378, le sceau était sur soie rose.

42. — 1184-1188.

Ego N[icholaus], Beati Quintini Belvacensis abbas, universumque ejusdem ecclesie capitulum, notum

fieri volumus ad quoscumque littere presentes pervenerint, quod cum inter nos et canonicos Beati Petri Trecensis questio mota fuisset super minutis partitionibus supradicte ecclesie, quas nostras esse vindicabamus ratione unius prebende, quam habemus in eadem ecclesia, aliquandiu agitata fuisset; tandem coram domino Parisiensi [Mauricio] et magistro Petro, cantore Parisiensi, quibus in eadem causa Summus Pontifex vices suas commiserat, de partium assensu, in hunc modum est amicabiliter sopita. Sane cum prior noster Sancti Georgii, qui fructus prebende illius percipere consuevit singulis annis ratione prebende predicte, sicut et alii forinseci canonici C solidos persolveret, gratia pacis a prefatis canonicis est statutum : ut de predictis C solidis prior Sancti Georgii XL tantum solidos annuatim persolvat, totam integritatem prebende percepturus, sicut et alii ejusdem ecclesie canonici, preter predictos XL solidos, et exceptis minutis partitionibus. De minutis enim partitionibus, hoc inter nos et ipsos canonicos est statutum : quod sepe dictus prior, tempore hebdomade sue, quam in prelibata ecclesia facere consuevit in quatuor festis annualibus tantum, Natali videlicet, Pascha, Pentecoste, et in festo beati Petri, sicut unus de aliis canonicis, eam, que se continget, percipiet portionem, alias quantum ad minutas partitiones nihil penitus percepturus... — *Cartul.* fol. 56 r°. — Camusat, *Promptuarium,* fol. 119 r°.

43. — 1184.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Ego Manasses, Dei gratia Trecensis episcopus, notum facio presentibus et futuris, quod pro remedio anime mee, ecclesiam Beati Petri Trecensis, quam plurima dilectione amplexor, ut pote benignissimam matrem, cujus uberibus fere ab infantia educatus sum, prout facultas mea pati potuit, studui ampliare. Dedi etenim prefate capitulo ecclesie et in perpetuum concessi liberam decani electionem : et quia tante dignitatis nomini succenti non sufficienter respondebant, decanatum augmentavi XX libris annuatim persolvendis. Dedi etiam eis ecclesiam Sancti Patrocli, in illa libertate qua possident ecclesiam Sancti Remigii et ecclesiam Sancti Nicetii possidendam. In illa autem ecclesia, scilicet Sancti Patrocli, XX solidos pro anniversario predecessoris mei Mathei, felicis memorie, assignavi. Pro anniversario etiam sanctissimi patris Henrici assignavi XX solidos in ecclesia de Manso Thiescelini ; his supradictis addidi VII libras in ecclesia de *Colaverde ;* de quibus XX solidi sunt pro anniversario Roscelini, et pro anniversario meo de predictis VII libris XX solidos assignavi. Statui etiam, ut sacerdos ecclesie de *Colaverde,* quicumque sit, juret se redditurum pretaxatam VII librarum summam terminis constitutis : XL scilicet solidos in Circumcisione Domini; XL solidos ad Clausum Pascha ; XL solidos ad As-

sumptionem beate Marie ; XX solidos in festivitate Omnium Sanctorum. Ut autem summa anniversarii mei usque ad C solidos ascendat, dedi IV libras in quodam horto meo qui fuit Hugonis *Nabur*. Dedi etiam tertiam partem eis decime de *Mace ;* tertiam quoque partem molendinorum Venne ; et vineam ejusdem ville, quam pretio C librarum emeram, eis concessi post decessum Galteri, Trecensis archidiaconi ; et quicquid in eadem precaria super territorium B. Petri usque ad diem qua composita est pagina ista adquisieram. Quod ut ratum permaneat imperpetuum, presentem paginam sigilli mei munitione roboravi. Hujus rei testes sunt : Manasses, Lingonensis episcopus; Galterus de *Pogi,* Manasses, Drogo, Herbertus, archidiaconi ; Johannes de Abbatia, Johannes de *Conflanz,* Renardus, Renaudus, presbiteri; Petrus, Manasses, Guillelmus, diaconi ; Ernaudus, Johannes, Girardus, Milo, Drogo, Hugo, subdiaconi ; Johannes de Posessa et Milo de Sancto Fidolo. Actum Trecis in domo mea pontificali, anno ab Incarnatione Domini M° C° LXXX° IIII°. — *Cartul.* fol. 40 r°. — *Origin.* liasse G-2558.

44. — 1186.

Ego Clarembaldus de Capis notum facio tam futuris quam presentibus, quod Odo de Vandopera invadiavit canonicis Beati Petri Trecensis, pro XL marcis argenti, quicquid habebat in modificationibus vel custumiis apud Capellas, et apud Sanctum

Savinianum, et in adjacentibus locis in terra Sancti Petri, et hoc laudavimus ego et duo fratres ejus Bovo et Jordoinus. Jordoinus quoque eisdem canonicis invadiavit, pro XLIIII marcis argenti, quicquid habebat in prefatis modificationibus vel custumiis, et hoc quoque laudavimus ego et duo fratres ejus, Odo scilicet et Bovo. Facta est autem illa invadiatio hac conditione, quod licebit michi vel heredi meo, quociens voluerimus et poterimus, ante Pascha, redimere ; ipsi quoque et heredes eorum hanc eamdem habent redimendi facultatem. Testes sunt : Ego Clarembaldus ; Guido, frater meus ; Teobaldus de *Fresnei ;* Haytius, decanus ; Droco, Herbertus, archidiaconi ; Garinus, camerarius ; Reinaldus ; magister Reinaudus, Johannes de *Cofflanz,* Johannes de Abbatia, presbiteri ; magister Petrus Potator ; Guillelmus *Testarz,* diaconi ; Hyduinus de Vendopera, Galterus de Capis, Girardus de Barro, Milo de Barro, subdiaconi. Actum Trecis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo sexto. — *Cartul.* fol. 52 r°. — *Origin.* liasse G-2859.

45. — 1186.

Ego Maria, Trecensis comitissa, notum facio presentibus et futuris, quod, assensu et voluntate karissimi filii mei Henrici, ad luminare lampadis de ante altare Sancti Salvatoris ecclesie Beati Petri Trecensis, assignavi modium avene annui redditus in salvamento de Capella Sancti Petri. Hanc elemosi-

nam feci pro anima domini mei comitis Henrici, et pro salute mea, et filii mei. Hunc autem redditum recipient presbiteri matricularii dicte ecclesie, et luminaria dicte lampadis die ac nocte jugiter ardentis ministrabunt. Quod ut ratum teneatur, litteris innotatum sigilli mei impressione firmavi. Testibus : Andrea, capellano, et magistro Oddone. Actum Trecis, anno ab Incarnatione Domini M° C° LXXX° sexto. Data per manum Haicii, cancellarii. Nota Willelmi. — *Copie*, liasse G-2857.

46. — 1188.

Ego Henricus, Trecensium comes palatinus, tam presentibus quam futuris notum facio, quod in villa canonicorum Sancti Petri Trecensis que dicitur Capella, habeam XV modios avene de salvamento. Concessi ipsis canonicis quod salvamentum illud colligant equaliter tam in hominibus in atrio manentibus quam in hominibus extra atrium manentibus, ad voluntatem suam, excepto quod in quatuor hominibus quos ibi habeo Theone scilicet, Morino, Gilone, et uxore Guiardi Ruffi, non accipiant nisi in singulis tres minas. Poterit etiam quilibet hominum illorum consuetudinem illam dimittere uni heredum suorum cui voluerit ; alii vero heredes, sicut ceteri homines ejusdem ville, salvamentum persolvent, pro voluntate et disposicione canonicorum. Si qui etiam hominum meorum deinceps in eandem villam venerint mansuri, assignationi sal-

vamenti, quam canonici in ceteris hominibus facient, subjacebunt, ita tamen quod secundum singulorum possibilitatem in hominibus meis, sicut et in aliis racionabiliter accipient. De hiis etiam XV modiis habebit eadem ecclesia III modios et dimidium, sicut a pie recordationis patre meo comite Henrico, et matre mea comitissa Maria ei collatum fuit et confirmatum. Quorum scilicet trium modiorum et dimidii matricularii ejusdem ecclesie habebunt II modios et dimidium ad opus suum, et ad ministrationem lampadis ante altare beate Marie I modium. Notum etiam facio quod Garinus de Mariaco quecumque habebat apud Capellam Sancti Petri vendidit canonicis Beati Petri Trecensis ; et ego, cum ea de feodo meo essent, hoc laudavi. Galcherus etiam de Castris, et Reimbaldus, frater ejus, quecumque habebant apud *Orvilers* et in potestate ejusdem ville vendiderunt predictis canonicis ; et ego similiter hoc laudavi, cum ea de feodo meo essent. Notum etiam facio quod Tierricus de *Flaci* quecumque habebat apud Planteicium in terragiis, in quibus scilicet cum canonicis Sancti Petri Trecensis partiebatur, vendidit eisdem canonicis et quitta clamavit in perpetuum. Tres etiam oschias quas apud Plantecium habebat, cum terris que *Hastel* dicuntur, eis similiter dimisit et vendidit; quicquid etiam consuetudinum apud eamdem villam habebat tam in gallinis quam nummis, et panibus, eis vendidit et quittum clamavit. Statutum autem est quod si deinceps de nemoribus, que ipsis canonicis et predicto Tier-

rico communia sunt, aliquid essartabitur, dictus Tierricus inde terragium suum habebit, quantum ad medietatem suam spectabit. Hoc ita tenendum fiduciavit idem Tierricus, et uxor ejus, et liberi eorum; et ego, de cujus feodo res ipsa esse dinoscitur, hoc laudavi. Et ut ratum teneatur, litteris annotatum sigillo meo confirmavi. Actum Trecis, anno ab Incarnatione Domini M° C° LXXX° VIII°. — *Cartul.* fol. 50 v°. — *Origin.* liasse G. 2857.

47. — 1188. — « Lettres du comte Henri, par lesquelles il certifie que Garin Fournier de Méry, cède à ce chapitre tout ce qu'il avait aux Chapelles, à titre de maréchal, moyennant deux muids d'avoine, payables annuellement à la Saint-Martin. » — *Cartul.* fol. 50 r°.

48. — 1188.

Ego M[anasses], Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere presentes pervenerint in Domino salutem. Notum fieri volumus, quod in presentia domini Senonensis archiepiscopi concessimus et donavimus capitulo Beati Petri Trecensis perpetuo possidendam ecclesiam Sancti Petri de Bucenaio, in ea libertate in qua predictum capitulum ecclesias Sancti Remigii et Sancti Nicecii dinoscitur possidere. In ecclesia vero Sancti Martini de Bucenaio concessimus et donavimus eidem capitulo C solidos annuatim percipiendos, cum presbiteri presentatione. In cujus rei memoriam presentem cartam notari fecimus et sigilli nostri impressione mu-

niri. Actum apud Sanctum Sepulcrum, anno Incarnati Verbi M° C° LXXX° VIII°. — *Cartul.* fol. 44 r°. — *Origin.* liasse G-3313.

49. — 1188.

Guido, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus ad quos littere presentes pervenerint in Domino salutem. Notum fieri volumus, quod venerabilis frater noster Manasses, Trecensis episcopus, in nostra presentia constitutus, concessit et donavit capitulo Beati Petri Trecensis perpetuo possidendam ecclesiam Sancti Petri de Bucenaio, in ea libertate in qua predictum capitulum ecclesias Sancti Remigii et Sancti Nicecii dinoscitur possidere. In ecclesia vero Sancti Martini de Bucenaio concessit et donavit eidem capitulo centum solidos annuatim percipiendos, cum presbyteri presentatione. In cujus rei memoria presentem cartam notari fecimus et sigilli nostri impressione muniri. Actum apud Sanctum Sepulchrum, anno Incarnati Verbi M° C° LXXX° VIII°. Datum per manum magistri Petri, cancellarii, notarii. — *Cartul.* fol. 44 r°. — *Origin.* liasse G-3313.

50. — 1188.

Ego Manasses, Dei gratia Lingonensis episcopus, notum facio presentibus et futuris, quod ecclesie Beati Petri Trecensis assignati sunt XL solidi in annuis censibus Ville Nove prope Barrum pro anni-

versario comitis Milonis, annuatim sollempniter faciendo singulis annis, in festo sancti Remigii fideliter persolvendi. Qui, si prefato termino redditi non fuerint, de Dei misericordia et suceessorum nostrorum benignitate presumentes, statuimus, et decano Vandopere, quicumque sit, districte precipimus, quatinus de servientibus qui census illos receperint et de tota terra comitis Barrensis debitam sine dilatione faciat justiciam, usque dum Trecensi ecclesie super hoc facta fuerit competens satisfactio; comes vero Barri, si requisitus, infra septem dies dictos nummos solvi non fecerit, de ipsius persona justicia teneatur. Actum anno Incarnati Verbi M° C° LXXX° VIII°. — *Cartul.* fol. 45 r°. — *Origin.*

51. — 1188.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, Manasses, divina miseratione Trecensis episcopus, universis ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Quoties a parvitate nostra pie requiritur.. Nos ad fervorem et sinceritatem dilectionis et charitatis cordis oculos acutius porrigentes, et bonum testimonium, mores, et vitam Galtheri, Trecensis archidiaconi, dilecti nepotis nostri, qui in famulatu nostro multoties desudavit, benignius considerantes, eidem Galtero pietatis intuitu et ob servitii et laboris sui remedium, quicquid a Domino Gaufrido de Villa Harduini apud Vennam emimus, quiete et pacifice post decessum nostrum, nullius contradic-

tione obstante, contulimus. Verum et cum in gremio matricis ecclesie Beati Petri Trecensis a diebus juventutis nostre educati fuerimus, et plura benefiicia nos et amici nostri ab ipsa multoties susceperimus, et cum maxime ejusdem ecclesie capitulum, per quod ad tanti honoris gradum divina providentia sublimati sumus, predicto Galthero, archidiacono, quicquid habebat apud Vennam omnibus diebus vite sue, ad preces nostras, post decessum nostrum contulerit ; non immemores tanti beneficii, a predicto capitulo accepti, eidem capitulo illud, quod a jam dicto Gaufrido emimus, post decessum sepedicti Galtheri tenendum quiete et pacifice possidendum concessimus. Datum anno M° C° LXXX° VIII°. — *Cartul.* fol. 69 r°. — Camusat, *Promptuar.* fol. 179 r°.

52. — 1188 (*v. st.*). — « Lettres de l'évêque Manassès, par lesquelles, pour terminer toute contestation au sujet du trésor de cette église (Cfr. p. 54), qu'il avait fait transporter hors de l'église, il déclare que, dans le terme du dimanche des Rameaux, il sera tenu de rendre à l'église son calice d'or ; la table d'argent qui se mettait sur l'autel ; la chappe qu'il a donnée à l'église de Sens, lors de sa consécration ; et les gages que les marguilliers avaient donnés pour servir de caution lorsqu'on leur avait confié la garde du Trésor. » — *Cartul.* fol. 41 r°.

53. — 1189. — Deux chartes données l'une par « Guiterus, Dei patientia Beati Lupi Trecensis abbas, et totum capitulum »; l'autre donnée par « Haicius, Dei patientia Trecensis ecclesie Beati Petri decanus, et totum capitulum. » Ces

deux chartes notifient un accord au sujet de plusieurs différends qui existaient entre les chanoines de Saint-Pierre et les religieux de Saint-Loup. (Cfr. *Cartul. de l'abbaye de Saint-Loup*, nos 99, 100.)

54. — 1186 au plus tard. — « Lettres par lesquelles la comtesse Marie certifie que Geoffroi de Villehardouin a vendu à Manassès, évêque de Troyes, tout ce qu'il avait dans la seigneurie et le domaine de Vannes. » — *Cartul.* fol. 51 v°. (Cette charte a été oubliée à sa place chronoloqique.)

55. — 1188-1189. — « Lettres par lesquelles le comte Henri déclare que s'il a exigé la dîme sur la terre du chapitre de Saint-Pierre, ça été, conformément à la décision nouvellement rendue à Paris, pour secourir la terre de Hiérusalem [il s'agit de la dime Saladine, établie en vertu d'une ordonnance de Philippe-Auguste rendue le dimanche 27 mars 1188]; qu'au surplus il ne l'a fait que pour cette fois, et que par cette considération; et que ni lui ni ses héritiers ne pourront rien prétendre de pareil doresnavant. » — *Cartul.* fol. 50 v°.

56. — 1190.

Ego M[anasses], Trecensis episcopus, notum fieri volo tam presentibus quam futuris, quod quidam homo noster Milo nomine, filius Mathei, prepositi nostri, duxit in uxorem *Dameron*, privignam Febelinarii, Trecensis civis, que ancilla erat Trecensis capituli, de assensu et voluntate ejusdem capituli, ea tamen conditione, quod nos, in recompensationem predicte *Dameron*, donavimus et concessimus filiam Ebrardi *Berruier* Emelinam, uxorem Radulfi

Malfait, que ancilla nostra erat, libere et absolute cum tota sua posteritate presenti et futura possidendam. Ipsi vero decanus et capitulum prenominati *Dameron,* ancillam suam, nobis et successoribus episcopis eadem conditione possidendam concesserunt. Et ut hoc ratum et inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate dignum duximus premuniri. Actum anno ab Incarnatione domini M° C° LXXXX°.
Cartul. fol. 41 v°. — *Origin.* liasse G-2621.

57. — 1191 au plus tard.

Ego Herveus, decanus, et Petrus, cantor ecclesie Parisiensis, et Petrus, decanus Sancti Germani Altisiodorensis, notum fieri volumus universis ad quos presentes littere pervenerint, quod cum Haycius, decanus, et capitulum Trecensis ecclesie, Stephanum, presbiterum de Rameruco, traxissent in causam super quibusdam decimis, que site sunt in territorio Rameruci et Insularum, et in territoriis Wasconie et Romanie, quas nomine Trecensis ecclesie possidebat, infra diem, decisioni cause a nobis, Apostolica auctoritate prefixum, eadem causa sopita est in hunc modum, quod idem Stephanus supradictis decimis et eorum pertinentiis, et aliis omnibus que ad jus et proprietatem Trecensis ecclesie pertinent, sicut ipse novit, vel sicut ab antiquioribus terre hominibus posset inquirere diligentius, juravit recognoscere se veritatem. Confessus autem quod decime ille cum pertinentiis suis, de quibus fuerat

controversia inter eos, erant de jure et proprietate ecclesie Trecensis. Ita etiam quod predicti decanus et capitulum possunt eas in manu sua retinere, vel sub quantacumque voluerint, vel potuerint, sive magna sive minima alii tradere pensione, et sic eas in manu decani, coram universo capitulo, resignavit. Idem enim sacerdos expressit quod in grossa decima de Rameruco, quicumque sit sacerdos ejusdem ville, XXXIX sextarios annuatim percipere debet, XIII frumenti, XIII siliginis, totidemque tramesagii, de meliore quod erit in horreo, ad mensuram predicte ville ; et de residuo monachi de Rameruco terciam partem, et ecclesia Trecensis duas partes, percipere debent. Minutam quoque decimam parrochie sue de Rameruco, videlicet cum ipsa ecclesia, recognovit ad jus prefate Trecensis ecclesie pertinere. Preterea confessus est idem sacerdos quod de duabus partibus grosse decime Wasconie, et etiam minute, jam dicta ecclesia, vel ille qui nomine ejus possidet, terciam debet percipere porcionem, et de proventibus oblationum in festis annalibus similiter. Adjecit etiam quod de quadam terra, que vocatur terra Beati Petri, quam quidam homines in predicta villa possident, duos solidos annui census, et duo prandia, cum duabus vel tribus equitaturis, ecclesie sepedicte, vel ei qui nomine ejus possidet, quicumque sint illi qui jam dictam terram possident, annuatim persolvere tenentur. Idem similiter recognovit quod in grossa decima Romanie de jure pretaxate ecclesie Trecensis, tam ipse quam prede-

cessores sui, duas partes hactenus perceperint. Hiis itaque peractis, predicti decanus et capitulum, cum prenominato Stephano misericorditer agere volentes, antedictas decimas, cum pertinentiis suis, toto tempore vite sue possidendas concesserunt, salva sex modiorum, ad mensuram Trecensem, annua pensione, quos solvit pro grossa et minuta decima Rameruci et predictarum villarum; et salva etiam ecclesie de Rameruco sex librarum annua pensione, quas solvit pro ipsa ecclesia; et aliis proventibus oblationum de Wasconia; et pro censu prelibate terre, et prandiis, et chevagiis Insularum octo tamen sextarios, ad eamdem mensuram, quatuor tam frumenti quam siliginis et quatuor avene, memorate decime adjicientes pensioni, et hec omnia post decessum pretaxati presbiteri libere et absolute ad Trecensem ecclesiam revertentur. — *Cartul.* fol. 46 r°. — *Origin.* liasse G-3186.

58. — 1191.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Bartholomeus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste perverint in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod nos attendentes devotionem et dilectionis affectum, quem a primis pueritie nostre annis pia mater nostra ecclesia Beati Petri Trecensis erga nos, tanquam precordialem alumnum suum, singulari quadam specialitate habuerit, et quod ex gremio ipsius nos Dominus ad

episcopalem dignitatem vocaverit, juxta meritorum ejusdem ecclesie exigentiam nos condecet respondere, ut de promotione nostra aliquem fructum debeat percipere, cujus voluntati quicquid habemus honoris et potestatis semper debeamus inclinare. Cum igitur predecessor noster, Manasses, Trecensis episcopus, quondam partem ville, que dicitur Venna, a domino Gaufrido de Villa Harduini, comitis Henrici marescallo, propriis sumptibus suis sibi aquisierit, nos, considerantes partem illam ipsi ecclesie utilem et multum necessariam, cum in eadem villa plures possessiones habeat, causa commoditatis et provectionis ejusdem ecclesie, caventes contentionem et querelam, que inde posset oriri inter successores nostros Trecenses episcopos et memoratam ecclesiam, non immemores beneficiorum, que in eadem ecclesia diu percepimus, quicquid juris habebamus nos et successores nostri Trecenses episcopi, in illa emptione quam fecit, sicut diximus, predecessor noster apud Vennam, a predicto marescallo, vel a quolibet alio, pro remedio anime nostre eidem ecclesie in perpetuum contulimus possidendum. Concessimus etiam jamdicte ecclesie ecclesiam de Rameruco, cum omnibus beneficiis suis et appendiciis, ut eam libere et pacifice in perpetuum teneat in ea libertate in qua tenet ecclesiam Beati Nicecii et ecclesiam Beati Remigii, scientes quod per eandem ecclesiam de Rameruco possessiones multe et alia beneficia, que ibi habet ecclesia Beati Petri sepedicte ville circumjacentia, liberius

possint ampliari, et sub meliori libertate et tranquillitate in perpetuum debeant permanere. Ut hec autem donatio nostra firmior et stabilior in perpetuum permaneat, ad presentationem ipsius capituli presbiterum, qui eidem ecclesie modo preest, cura ipsius ecclesie investivimus, qui propria manu juravit super sanctum Evangelium jura illius ecclesie se nullo modo diminuere, et se fidelitatem ecclesie Beati Petri modis omnibus observare. Quod ut ratum permaneat et firmum teneatur, litteris annotatum sigilli nostri roboravimus munimento. Actum anno Incarnationis Dominice millesimo centesimo nonagesimo primo. — *Cartul.* fol. 41 v°. — *Origin.*

59. — 1191.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Johannes, decanus, totumque Beati Petri Trecensis capitulum, omnibus ad quos litere iste pervenerint salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod, cum venerabilis pater et patronus noster Bartholomeus, episcopus Trecensis, moraretur in decanatu ecclesie nostre, et de propriis sumptibus suis altare Beate Marie in ecclesia nostra edificaret, altare illud tam redditibus quam aliis ornatibus dotavit et ditavit, et quatuor presbyteros canonicos ad assiduum servitium chori et illius altaris ob remedium anime sue in perpetuum destinavit, et donationem et investituram prebendarum, quas ibidem de suo proprio instituit, in manu sua retinuit; sed post

ipsum eadem donatio et investitura dictarum quatuor prebendarum ad capitulum nostrum redire debuit. Cum vero Dominus ad episcopalem ipsum promovit dignitatem, a nobis instanter petiit, ut ipsi et successoribus suis Trecensibus episcopis donationem et investituram predictarum prebendarum libere in perpetuum concederemus. Cujus petitioni benigno concurrentes assensu, considerantes etiam piam ipsius intentionem, et quam mera et lubenti liberalite proponat semper in melius ampliare beneficia ab ipso predicto altari collata, ipsi et successoribus suis Trecensibus episcopis liberam donationem et investituram dictarum quatuor prebendarum in perpetuum contulimus possidendam, ut de beneficiis ipsius opus manum suarum majus suscipiat incrementum, et ad ipsum et successores suos quicquid juris habebamus in donatione earumdem prebendarum redeat, quatinus dilectionem quam habet erga ecclesiam nostram in augmentatione beneficiorum eidem altari pertinentium ad honorem Xpisti et pie Genitricis sue pia operis exhibitione valeat declarare. Quod ut ratum maneat et inconcussum, litteris annotatum sigilli nostri roboravimus munimento. Actum anno Incarnationis Domini M° C° XC° primo. — *Vidimus* de l'année 1237 (*v. st.*) liasse G-2573.

60. — 1191.

Haicius, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem.

Noverit universitas vestra, quod, cum sanctimoniales de Foisseio molendinum quoddam Trecis, juxta pratum nostrum, haberent, et super ejus situ et sede inter ipsas et canonicos Beati Petri sepius querela ageretur, priorissa et sanctimoniales dictum molendinum nobis, bonum pacis inter ecclesias ordinare volentibus, reliquerunt et quietum clamaverunt. Nos autem, ob remedium anime nostre, memoratis cenonicis idem molendinum in elemosinam conferentes, dicte ecclesie sanctimonalium in recumpensationem hujus facti quicquid habebamus in decima de Villa Chestini, in qua cum eis participabamus, in perpetuum cum omni integritate proventuum omnium, assistente et approbante Beati Petri capitulo, dedimus et concessimus. Conventus vero ipsarum, post decessum nostrum, anniversarium nostrum se singulis annis promisit facturum. Cujus die XX solidos pitancie de propriis redditibus habebit, et ne hoc aliquo modo liceat immutari statuerunt sub anathemate prohiberi. Hoc ut ratum permaneat et inconcussum teneatur, litteris annotatum tam nostro quam Beati Petri sigillo duximus roborandum. Actum anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo primo. — *Cartul.* fol. 42 v°. — *Origin.* liasse G-3414.

61. — 1190-1192. — « Lettres de l'évêque Barthélemy, portant permission en faveur d'un homme de la main-morte du chapitre pour se marier avec une femme de la mainmorte de l'évêché : à condition que la sœur de cette femme

demeurera sous la justice et du domaine du Chapitre. » — *Cartul.* fol. 41 v°.

62. — 1190-1192. — « Lettres de l'évêque Barthélemy, par lesquelles il donne pour l'œuvre de cette église tout ce qui lui est dû en main-morte, savoir : à Troyes 10 l.; à Saint-Lyé 10 l.; à Aix 10 l.; à Pouan 10 l. Défense au chapitre sous peine d'excommunication d'employer cet argent à autre chose que pour l'œuvre de l'église. Plus une chasuble rouge avec une tunique et une dalmatique de même couleur, et une tunique et une dalmatique blanche. Défense aux évêques de Troyes d'en faire usage en dehors de l'église pour quelque nécessité que ce soit. — *Cartul.* fol. 42 r°.

63. — 4 mai 1192.

Celestinus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.. episcopo, et dilectis filii capitulo Trecensi salutem et Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, institutionem in ecclesia vestra, de communi omnium nostrum voluntate firmatam, videlicet, ut quicumque canonicorum per dimidium saltem annum in ecclesia non maneret assiduus de fructibus prebende sue solidos centum amitteret, sicut juste et sine pravitate aliqua facta est et hactenus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel (*ut supra* n. 27). Da-

tum Laterani, nonas maii pontificatus nostri anno secundo. — *Origin.* liasse G-2573.

64. — 1192.

Bartholomeus, Dei gratia Trecensis episcopus, universis ad quoscumque littere presentes pervenerint in Domino salutem. Notum fieri volumus tam presentibus quam futuris, quod molendinum de Prato Episcopi, quod a sanctimonialibus de Fossiaco adquisivimus et habuimus, ob remedium anime nostre dilectis filiis nostris Johanni, decano, et capitulo Trecensis ecclesie dedimus et concessimus imperpetuum possidendum ; unde ipsi singulis annis in anniversario nostro unum modium frumenti solvere tenentur, his qui anniversario interunt distribuendum. Et, ut hoc ratum et firmum permaneat, sigilli nostri impressione muniendum dignum duximus et signandum. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M° C° LXXXX° II°. — *Cartul.* fol. 42 r°. — *Origin.* liasse G-3414.

65. — 1192.

Bartholomeus, Dei gratia Treeensis episcopus, omnibus ad quos littere presentes pervenerint salutem in Domino. Volumus ut presentis scripti testimonio tam presentibus quam futuris notum habeatur, quod, cum decanus ecclesie Beati Petri Trecensis sex libras annue et antique pensionis in ecclesia

d'*Aubroissel,* jure decanatus ab antiquo possideret, nos qui domino Johanni, tunc temporis decano, ratione pristine dilectionis et familiaritatis obnoxii et obligati tenemur, quem socium et commensalem gratissimum fidelemque tanto tempore nos habuisse recolimus, aliquid ad utilitatem ipsius addere cupientes in memorata ecclesia et in presbyteris qui in ea amministraturi sunt, ad honorem sui personatus dicto Johanni et successoribus suis eam concedimus justitiam et libertatem, quam capitulum Beati Petri habet in ecclesiis Sancti Remigii et Sancti Nicetii. Quod ut ratum habeatur, sigilli nostri impressione firmavimus anno ab Incarnatione Domini M° C° XC° secundo. — *Cartul.* fol. 60 r°. — *Origin.* liasse G-2558.

66. — 1192.

Mathildis, Dei gratia Fontisebraldi humilis abbatissa, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod controversia que ventilabatur inter capitulum Beati Petri Trecensis et sanctimoniales de Foissiaco super molendino, juxta Pratum Episcopi sito, ita sedata est, quod predicte sanctimoniales, assensu et concessu nostro, idem molendinum Bartholomeo, Trecensi episcopo, et quicquid juris in eo habeant reliquerunt et quietum clamaverunt. Predictus vero episcopus, pietatis intuitu capitulo Beati Petri idem molendinum in elemosinam confe-

rens, in ejusdem molendini recompensationem quicquid in grossa decima de Villa Chestini et de Argentela habebat eisdem sanctimonialibus, cum omni integritate proventuum, liberaliter in perpetuum, laudante jam dicto capitulo et approbante, contulit et concessit possidendum. Insuper, in earumdem grangia, que est apud *Paienz*, karrucatam unam terre a decima que ad ipsum pertinebat liberam indulsit et absolutam. Preterea vero cum inter ipsum episcopum et pretaxatas sanctimoniales super decima vini, que est in territoriis de Villa Chestini et de Argentela, quedam discordia fuisset exorta, tandem, compositione mediante, in hunc modum quievit, quod in eadem decima vini Trecensis episcopus unam medietatem habebit; alteram vero medietatem sepedicte sanctimoniales libere et quiete possidebunt. In omni autem minuta decima, quoquo modo predictus episcopus eam possidebat, concessit quod de universis proventibus medietas episcopo, altera vero medietas dictis sanctimonialibus imperpetuum quieta remanebit. Laudamus etiam atque precipimus, ut conventus de Foissiaco, postquam predictus episcopus obierit, anniversarium ipsius singulis annis solempniter faciat, et de predictis redditibus pitantiam XX solidorum in anniversarii die sine omni retractatione habeat. Et ne hoc liceat immutari sub anathemate statuimus prohiberi. Quod ut ratum et firmum omni tempore perseveret, nos laudamus et approbamus, et sigilli nostri munimine dignum duximus roborandum. Actum publice, anno

Incarnati Verbi M° C° LXXXX° secundo. — *Cartul.* fol. 57 v°. — *Origin.* liasse G-3414.

67. — 1194. — « Herbertus, decanus Beati Stephani Trecensis ; Galterus, prepositus ; Villenus, subdecanus, totumque Capitulum », notifient qu'ils ont donné à un de leurs serfs la permission de se marier avec une serve du chapitre de Saint-Pierre ; les enfants qui naîtront de ce mariage seront partagés entre les deux chapitres. « Actum anno Incarnati Verbi M° C° XC° quarto. » — *Origin.* liasse G-2621.

68. — 1194.

Ego Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, totumque Beati Petri Trecensis capitulum, notum facimus futuris et presentibus, quod cum orta esset querela inter venerabilem decanum nostrum Johannem ex una parte, et nostrum capitulum ex alia, super portionibus ecclesie nostre, quas, sicut idem decanus dicebat, in omnibus, commodis duplices habebat, mediante sollicitudine venerabilis domini Willermi Rhemensis archiepiscopi in hunc modum terminata est et sopita : idem Johannes decanus noster omnes patriciones, que ad decanatum spectabant et centum solidos quos annuatim de nostro percipiebat, qui ad jus decanatus pertinebant, in manu nostra resignavit. Condigne autem recompensationis non immemores, ecclesiam de Mouceio cum omnibus pertinentiis suis sepedicte decano et suis successoribus Trecensibus decanis in ea libertate qua possidebamus eam libere concessimus in per-

petuum possidendam. Ego Garnerus, Trecensis episcopus, huic facte compositioni et testimonium perhibeo et factam approbo. Quod ut ratum permaneat et firmum, presentem paginam scribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimento roborari precepimus. Actum anno ab Incarnatione Domini M° C° XC° quarto. — *Cartul.* fol. 77 r°. — *Origin.* — Les deux sceaux pendaient à doubles cordons de soie rose et bleue tressée. — *Copie collation.*, sous le sceau de l'officialité, *die sabbati ante festum B. Clementis*, 1354.

69. — 1194.

Joannes, decanus, totumque Beati Petri Trecensis capitulum, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod, cum longo tempore habuerimus quamdam consuetudinem, que manusmortua dicitur, super homines nostros, nos eam dignum duximus in perpetuum delendam. Satuimus enim communi assensu capituli nostri, quod omnes homines nostri, qui sunt et qui erunt infra suburbium Trecense, quod vulgariter dicitur banleuga, a dicta consuetudine liberi permaneant in perpetuum et absoluti : ita quod omnes eorum possessiones in edificiis et tenementis et omnibus aliis mobilibus ubicumque fuerint, ad heredes propinquiores libere et sine contradictione deveniant, si homines fuerint ecclesie nostre et manentes infra dictam banleugam. Sane

illos a predicta libertate excipimus qui se maritaverunt in homines comitis, vel episcopi, vel cujuscumque militis, vel Beati Stephani, sine assensu capituli nostri, et eos similiter qui nos negaverunt. Adventitii quoque homines, qui albani nuncupantur et in dominium ecclesie se transtulerunt, eadem libertate gaudebunt. Homines autem nostri uxorati de villis nostris venientes sine assensu capituli, libertatem illam non habebunt. Actum anno M° C° LXXXX° IV°. — *Cartul.* fol. 34 r°. — Camusat, *Auctarium*, fol. 22 v°.

70. — Mars 1195. (*v. st.*).

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Johannes, Sancte Genovefe abbas, ego Robertus, Sancti Victoris abbas, et ego Petrus, cancellarius Parisiensis, notum facimus presentibus et futuris, quod, cum causa inter ecclesiam Trecensem, ex una parte, et ecclesiam Sancte Columbe Senonensem, ex alia, super decimatione de *Bocenai*, coram domino Parisiensi episcopo, et nobis abbate Sancti Victoris, et P., cancellario Parisiensi, auctoritate Apostolica verteretur, tandem in nos sit de assensu partium compromissum. Nos itaque, ad ea que pacis sunt intendentes, arbitrati sumus in hunc modum, quod monachi Sancte Columbe Senonensis pro domo sua de Reigniaco de terris quas in territorio de *Bocenai* possident, et propriis sumptibus excolunt, ecclesie Trecensi loco decime persolvent tunc quatuor sex-

tuarios bladi ad mensuram illius loci in perpetuum annuatim, videlicet, unum de frumento, unum de sigalo, et duos de avena. Ne igitur quod semel per concordiam utraque parte consentiente fuit, nobis arbitrantibus, diffinitum, iterum possit ad litigium revocari, presentem paginam scribi et sigillorum nostrorum fecimus testimonio roborari. Actum publice, anno Verbi Incarnati M° C° nonagesimo quinto, mense marcio. — *Cartul.* fol. 47 r°. — *Origin.* liasse G-3313.

71. — 1196 au plus tard. — « Lettres par lesquelles Renaud de Pougy accorde à ce chapitre 20 s. de rente à prendre sur les cens de Chanlai pour l'anniversaire de son frère Henri. — *Cartul.* fol. 54 v°.

72. — 22 septembre 1196.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego Henricus, Trecensis comes palatinus, confirmo et concedo duobus sacristis Sancti Petri cathedralis ecclesie Trecensis habendum in perpetuum et semper possidendum annonam, quam dominus Remigius, succentor ecclesie Sancti Stephani, capelle mee, habet in villa que vocatur Capella Sancti Petri, post decessum ejusdem Remigii. Data X° kalend. octobris anno ab Incarnatione Domini M° C° XC° VI°, — *Copie authentique,* collationnée le 2 janvier 1526.

73. — 1169.

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Matheo, Trecensi episcopo, suisque successoribus canonice instituendis, in perpetuum. In eminenti universalis ecclesie speculo, disponente Domino, constituti, ex injuncto nobis officio apostolatus astringimur fratres nostros episcopos plena charitate diligere, ac ne pravorum hominum molestiis agitentur tam eos, quam loca eorum gubernationi commissa protectione Sedis Apostolice communire. Ea propter, venerabilis in Xpisto frater episcope, tuis justis petitionibus benigno concurrentes assensu, Trecensem ecclesiam cui, auctore Domino, preesse dinosceris, ad exemplar patris et predecessoris nostri sancte recordationis Eugenii, pape, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : abbatiam Sancti Lupi, abbatiam Sancti Petri de Cellis, abbatiam Sancte Marie que sita est in suburbio Trecassino, abbatiam Sancti Martini juxta urbem, abbatiam Sancti Petri Arremarensis, abbatiam Sancti

Petri de Nigella, abbatiam que dicitur Oya, abbatiam de Cantumerula, abbatiam de Arripatorio, abbatiam de *Bullencurt*, abbatiam de Recluso, abbatiam de Belloloco, abbatiam de Capella, abbatiam de Bassofonte, abbatiam que dicitur Paraclitus. Ecclesiam de Barbona, ecclesiam de Campo Guidonis, ecclesiam de Tumbis, ecclesiam de Cubitis, ecclesiam de Linthis et Lintellis, ecclesiam de Claellis, ecclesiam de Rumiliaco in Valle Caprarum, ecclesiam de *Druct*, ecclesiam de Jassenis, ecclesiam de Viaspero, ecelesiam de Bonavicina, ecclesiam de Sancto Victore, ecclesiam de Aillebalderiis, ecclesiam de Salera, ecclesiam de Herbicia, ecclesiam de *Villers*, ecclesiam de Varcia, ecclesiam de Molceio, ecclesiam de Meriaco. Decimam de Molceyo, decimam de Marineio, decimam de Arduseio, decimam de Summofonte, decimam de *Avans*, decimam de Villa Harduini, decimam de Sancto Leone, decimam de Barbereio, decimam de Capella Sancti Luce tam in annona quam in vino, decimam de Marcilleio, decimam de Bretennino, decimam de Sancto Victore, decimam de Claellis, decimam de Novico, decimam de Fonte *Betton*, decimam de Buisseriis. Villam que dicitur Sactus Leo, cum appenditiis suis ; quicquid juris habes in villa que dicitur *Avenz;* quicquid juris habes in villa que dicitur *Lanes;* quicquid juris habes in villa que dicitur Anglura, et in insula que juxta eam sita est, in flumine Alba ; villam que dicitur Aquis, cum apendiciis suis, in ea libertate que a domino de Villemauro concessa est antecessoribus

tuis, tibi tuisque successoribus confirmamus, videlicet, ut cum Trecensem ecclesiam suo antistite vacare contigerit, domini de Villemauro vel ministri eorum, de rebus episcopi vel suorum hominum ibi nichil accipiant, sed usibus et dispositioni ejus, qui illic fuerit subrogandus antistes, in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam habetis in villa que dicitur Gumereium ; et in villa que nuncupatur Summus Fons, et utrobique prescriptam libertatem quam domini de Triagno tuis antecessoribus concesserunt, tibi et successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus. Preterea, confirmamus tibi et ecclesie tue libertatem eidem ecclesie a bone memorie comite Hugone concessam, ut scilicet, qui a te vel a successoribus tuis servientes aliquod publicum officium optinuerint, ab omni justitia et exactione comitum Trecensium, ac suorum ministerialium, quamdiu officium ipsum habuerint, liberi sint et immunes. Confirmamus etiam tibi liberam potestatem dandi decaniam, que providentia antecessoris tui a prepositura separata est, et de propriis redditibus predicti antecessoris tui dotata est ; et facultatem dandi preposituram, cantoriam, archidiaconatus, et prebendas in ecclesia tua, ita quod in prebendarum investitura prepositus libro manum apponere non presumat, quemadmodum antecessores tui habuisse noscuntur. Ecclesiam Beati Stephani, prope civitatem Trecensem, a nobili viro comite Henrico de novo constructam, cum omni subjectione quam tibi tuisque successoribus ejusdem ecclesie

decani, cum hominii exhibitione, persolvere debent, et de manibus vestris illius ecclesie curam suscipere, vobis auctoritate Apostolica confirmamus. Adjicientes ut domus episcopales et curtes, cum omnibus in eis contentis in obitu episcoporum illam libertatem obtineant, quam comes Henricus vobis concessisse et confirmasse dinoscitur. Prebendam etiam quam abbas et fratres Cluniacenses in ecclesia Trecensi consueverunt habere, quam vobis sponte sua resignaverunt in perpetuum, et quemadmodum in eorum scriptis authenticis continetur, vobis presenti privilegio roboramus. Ad hec, unum modium frumenti, quem idem comes Henricus vobis, de molendinis que sub Turre sita sunt, pro hominibus apud curtes Insule habitantibus, dedit, in vigilia Omnium Sanctorum annuatim persolvendum ; et unum sextarium frumenti, in novis molendinis, juxta ecclesiam Sancti Quintini, pro censu quem debet Paganus de Tuso. Furnum quoque, in Burgo Episcopi, cum omni integritate libertatis quam vobis memoratus comes Henricus concessit, et scripto suo roboravit. Centum etiam solidos, quos idem comes Henricus dedit matriculariis ecclesie Sancti Petri, in teloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Granchiam quoque Ville Cestini cum appendiciis suis, et decimam a Nochero redemptam. Ecclesiam insuper de Pineio cum pertinentiis suis et prebendas libera donatione vobis nichilominus confirmamus. Decernimus ergo (*ut supra* p. 43). Datum Veneventum, per manum Girardi, sancte Romane ecclesie notarii,

VIII idus septembris indictione III Incarnationis Dominice anno M°C°LXIX° pontificatus domini Alexandri III pape in anno X°. — Archiv. de l'Aube, *vieille copie*. — Analyse de cette pièce plus haut n. 23.

74. — 25 janvier 1171-1172.

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, decano et capitulo Trecensis ecclesie salutem et Apostolicam benedictionem. Ea, que ad incrementum ecclesiarum pertinent et ad earum spectant decorem sollicito studio et diligentia promovere debemus, et viros ecelesiasticos tanto studiosius ad hoc invitare, quanto eis amplius congruere dinoscitur circa cultum divinum et ecclesiarum augmentum propensiorem curam et sollicitudinem adhibere. Intelleximus sane, et certa relatione nobis innotuit quod omnes fere ecclesie Gallicane generaliter constituerunt, ut qui non sunt in obsequiis earum assidui non tantum percipiant quantum illi qui assiduam ibi moram noscuntur et conversationem habere, et quia hujus modi constitutio satis laudabilis et honesta existit, et nostrum interest vos et alios ad propositum honestatis et virtutis studiosius invitare, et ad ea propensius inducere que ad morum instructionem et incrementa debeant pertinere virtutum : universitatem vestram monemus, consulimus et mandamus ut quantum debeant canonici forenses annuatim percipere secundum formam et exemplum Senonensis ecclesie, matris vestre, cum

assensu et auctoritate venerabilis fratris nostri M., episcopi vestri, constituatis, et in hoc, et in ordine ecclesie vestre servando ejus institutionem sequamini studiosius et doctrinam. Indignum enim esset et omnino absurdum si forinseci eam beneficiorum integritatem perciperint, quam illi percipiunt qui circa officium ecclesie assidui esse noscuntur. De cetero, quia memoratum episcopum vestrum instrumenta et privilegia ecclesie vestre latere non debent, qui ejusdem ecclesie magister est et defensor, nichilominus universitatem vestram monemus, consulimus et mandamus, quatinus ei privilegiorum ecclesie vestre copiam faciatis ut statum ejus possit plenius agnoscere, et jura ipsius cognita commodiori patrocinio custodire, nam ejus honestatis est et virtutis, et ita vos et ecclesiam vestram sincere diligit quod de ipso in hac parte non oportebit vos dubitare. Datum Tusculani, VIII kal. februarii. — *Origin.* liasse G-20.

75. — 1181-1185. — « Lucius, episcopus, servus servorum Dei, episcopo Trecensi. » Confirmat plures ecclesias parrochiales et decimas Trecensis diocesis. « Preterea canonicales ecclesias ad jus ecclesie Trecensis pertinentes, ecclesiam Sancti Nicholai de Sezannia, eclesiam Sancti Remigii de Plaiostro, ecclesiam Sancti Blitharii de Brecis, ecclesiam Sancti Flaviti de Villamauro, ecclesiam Sancti Nicholai de Pogeio, ecclesiam Sancti Laurentii de Planceio. » Cum inhibitione de non alienando sine auctoritate Romani Pontificis. *Inventaire de l'évêché* 1519, reg. G-15.

76. — 15 juin 1185.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis decano et capitulo Trecensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ad hoc nobis universarum ecclesiarum regimen est commissum ut tam eis quam ministris earum sua jura integra conserventur, et ne in ipsis aliquid enorme attemptetur ex injuncto studeamus officio precavere. Ideoque auctoritate presencium inhibemus ne in ecclesia vestra sine conscientia et assensu tuo, frater episcope, ullus de novo pactiones, instituciones vel juramenta facere ulla temeritate presumat, quibus episcopali dignitati vel officio derogetur; et si que taliter facte sunt nullum ex eis prejudicium pacieris. Ad hec, frater episcope, presencium tibi auctoritate concedimus, et in ecclesiis in quibus necessitas exigit, sicut videris expedire, sine prejudicio alierum ecclesiarum, nullius contradictione vel appellatione obstante, cimiteria benedicas. Datum Verone, XVII kal. julii. — *Vidimus* de l'an 1412, liasse G-21.

77. — 1190-1192. — « Lettres par lesquelles l'évêque Barthélemy donne une fille de sa main-morte à ce chapitre, pour tenir lieu d'une fille de main-morte que ledit chapitre avait laissé épouser par un homme de Courlanges qui était de la main-morte de l'évêché. » — *Cartul.* fol. 42 v°.

78. — 25 mars 1195.

Celestinus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis decano et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad hoc nobis *(ut supra* n. 76). Datum Laterani, VIII kal. aprilis pontificatus nostri anno quarto. *Vidimus* de l'an 1412 liasse G-21.

79. — 1196.

Garnerius, Dei gratia Trecensis episcopus, universis ad quos littere presentes pervenerint salutem in vero Salutari. Cum Trecensi capitulo nostro sinceram dilectionem teneamus et mutuam exhibere, a quo fructus multimodos et honoris amplitudinem, licet indigni, suscepimus, ne merito ingratitudinis vicio argui mereamur, ejusdem temporales fructus et honorem affectu magis ampliare satagimus quam effectu. Ut autem affectus benivoli gratia penitus non lateret, memorato capitulo XX libras annue pensionis et antique dedimus in perpetuum possidendas : in ecclesia scilicet de Pontibus X libras ; in ecclesia Chalestrie C solidos; in ecclesia Arremarensi C solidos, que pensio canonicis nostris missis et matutinis assistentibus parcietur. Ne ergo nostri muneris firmitas in posterum valeat infirmari, presentem paginam sigilli nostri karactere dignum duximus roborari. Actum anno Incarnati Verbi mil-

lesimo centesimo nonagesimo sexto. — *Cartul.* fol. 43 v°. — *Origin.* liasse G-2577.

80. — 1196.

G[arnerus], Dei gratia Trecensis episcopus, universis ad quos littere presentes pervenerint salutem in salutis Actore. Cum Trecensem ecclesiam et ipsius capitulum paterne dilectionis visceribus amplectamur, dignum est, et ad hoc tenemur, ut quantum possumus eidem ecclesie et, omnibus in ea Deo servientibus, de beneficiis ab ipsa nobis collatis prodesse studeamus, ad vestram igitur volumus universitatem pervenire, quod nos dilecto filio nostro Jo., ecclesie predicte decano, decimam, quam apud Mouceiacum habebamus, benigne concedentes, ipsi toto tempore vite sue permisimus possidendam, ita quod de donacione illa duos modios frumenti capitulo Trecensi singulis annis reddere tenebitur; post decessum vero ipsius, predicta decima ad jamdictum capitulum sine contradictione revertetur, libere et pacifice in perpetuum possidendam. In cujus rei testimonio, presentem ipsi paginam tradidimus, sigilli nostri patrocinio roboratam. Actum anno Incarnati Verbi M° C° XC° sexto. — *Origin.* liasse G-3092.

81. — 1196.

Ego Galterus, Dei gratia Nivernensis ecclesie minister humilis, notum facimus presentibus et futu-

ris, quod dominus Renaudus de Pugeio, et Odo, fratres nostri, in nostra presentia constituti, laudaverunt ecclesie Beati Petri XX solidos, annuatim reddendos in censu de Chanlaio, pro anniversario Henrici, fratris nostri. Et nos, ad majorem firmitatem, presentes litteras sigillo nostro firmavimus. Actum anno Verbi Incarnati M° C° XC° VI°. — *Cartul.* fol. 45 v°. — *Origin.* liasse G-2741.

82. — 1197.

Salo, decanus, et G., precentor Senonensis ecclesie, omnibus, in quorum presentia carta presens apparuerit, in Domino salutem. Notum fieri volumus, quod, cum nobis commissa fuisset causa auctoritate Apostolica, que vertebatur inter canonicos Trecensis ecclesie et abbatem et monachos Beati Petri de Cella super decima vini novarum vinearum, que sunt apud Pontem Beate Marie, dictis canonicis pro minuta decima, sicut et aliam totam habent, ipsam requirentibus ; monachis vero ipsam habere volentibus, quia in terris illis in quibus nove vinee plantate sunt magnam decimam bladi quandoque receperant. Nos testes utriusque partis recepimus, et habito prudentum virorum consilio, cognito etiam in toto Trecensi episcopatu vinum pro minuta decima haberi, predictis canonicis illam decimam minutam novarum vinearum, sicut habent antiquam, auctoritate Apostolica adjudicavimus in perpetuum, sine partis adverse reclamatione, vel

appellationis interpositione, etiam super hoc silentium perpetuum imposuimus. Et ad majorem rei firmitatem utramque partem litterarum nostrarum testimonio munivimus. Actum anno Incarnati Verbi M° C° XC° VII°. — *Cartul.* fol. 38 r°. — *Origin.* liasse G-3155.

83. — 1197.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus presentem paginam inspecturis in Domino salutem. Sciat universitas vestra, quod nos dilectis filiis canonicis nostre ecclesie Trecensis dedimus decimam de Molceio, jure perpetuo possidendam, interposita conditione, quod Johannes ipsius ecclesie decanus tota vita sua nomine capituli eamdem decimam in manu sua tenebit, pro duobus modiis frumenti quos ipse ad mensuram Trecensem dictis canonicis persolvere tenebitur annuatim; fient autem de frumento illo, de unoquoque videlicet sextario, quadraginta panes, ita quod unus panis singulis canonicis dividetur, illis videlicet quorum dies in tabulis partitorum pro residentia suscribentur. Post decessum vero ipsius decani dicta decima capitulo nostro ad eundem usum libere et integre remanebit. Dedimus etiam eis partitionem panis et vini in tribus anniversariis trium predecessorum nostrorum pie recordationis Mathei, Manasse, Bartholomei. Cujusmodi partitionem die anniversarii nostri a nostro instituimus fieri successore, sepe dicti

siquidem canonici nostre ecclesie nobis unanimiter concesserunt, quod, ipso die anniversarii nostri, de bonis a nobis ipsis collatis XL solidi annuatim assistentibus ecclesie servitio partientur. Quod ne mutabilitate aliqua in posterum depereat, prefatam paginam scribi et sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno Verbi Incarnati M° C° XC° septimo. — *Cartul.* fol. 34 v°. — *Origin.* liasse G-3092.

84. — 1197.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus presentem paginam inspecturis in Domino salutem. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod nos dedimus dilectis filiis nostris canonicis Beati Petri Trecensis ecclesiam parrochialem de Barbona, in perpetuum possidendam, in ea libertate in qua tenent ecclesiam Sancti Remigii et Sancti Nicecii Trecensis. Quod ut ratum et stabile permaneat, litteris annotatum sigilli nostri roboravimus munimento. Actnm anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo septimo. — *Cartul.* fol. 44 r°. — *Origin.* liasse G-2709. — Le sceau pendait à des fils de soie verte et blanche.

85. — 8 février 1197. — « Celestinus, episcopus, servus servorum Dei.. » Le pape accorde aux chanoines de Saint-Pierre « ut tam diu pravas consuetudines, que apud vos vierie nuncupatur, ecclesie vestre obligatas a personis laicis, vobis liceat detinere donec tota sors vobis fuerit in integrum soluta » sans que les intérêts provenant de chacune

de ces redevances puissent être comptés en principal. « Datum Laterani, VI id. februarii, anno sexto pontificatus nostri. » — *Origin. scellé.*

86. — 1197.

G[arnerus], Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere presentes pervenerint salutem in salutaris Actore. Noverit universitas vestra, quod nos, ad preces quorumdam amicorum nostrorum de ecclesia nostra Trecensi, ejusdem ecclesie capitulo quemdam hominem nostrum Radulfum de Corlengiis, tunc temporis manentem apud villam que dicitur *Valanz*, cum uxore sua, et successione et pertinenciis eorum, dedimus et concessimus perpetuo possidendum. Ne igitur hec nostra concessio aliquorum malignitate in posterum valeat infirmari, presentem super hoc paginam scribi, et sigilli nostri patrocinio fecimus roborari. Actum anno Incarnati Verbi M° C° XC° VII°. — *Cartul.* fol. 43 r°. — *Origin.*

87. — 1198.

Johannes, ecclesie Beati Petri Trecensis decanus, totumque ejusdem ecclesie capitulum, omnibus presentes litteras inspecturis in Domine salutem. Noverit universitas vestra, quod discordia, que inter nos et nobilem Campanie comitem Theobaldum vertebatur super justitia hominum nostrorum, compromissione facta a nobis et ab ipso comite in domi-

num Senonensem Mychaelem archiepiscopum et in Gaufridum, mareschallum Campanie, receptis ex utraque parte testibus, terminata est in hunc modum : si aliquis conqueritur de aliquo hominum nostrorum qui non sit de liberis servientibus nostris, ipse homo debet ire ad citationem prepositi comitis. Sed si de aliqua querela agatur contra eum, non respondebit ibi nec remanebit, sed in curia nostra querela audietur et terminabitur; et de omnibus querelis et admissionibus homines nostri non nisi coram nobis respondebunt. Si comes iturus est in exercitum vel in expeditionem in propria persona, pro negotio proprio, per litteras suas vel per credibilem nuntium nobis mandabit ut homines nostros submoneamus ; et hoc faciemus, et ad nostram submonitionem ibunt homines nostri, et aliter non, et eunte ipso comite. Diffinitum est etiam quod hec est libertas claustri nostri, et domorum in quibuscumque manemus, sive in claustro, sive extra claustrum : quod nec furem nec falsam mensuram, nec aliquam rem aliam poterit prepositus comitis vel aliquis alius capere in eis, nec aliquid justicie habebit in eis, nec aliquis ex parte comitis. Omnes etiam servientes nostri, qui de bonis nostris vivunt in domibus nostris, liberi sunt ab omnibus consuetudinibus et clamoribus et ab omnibus servitiis ; et hanc libertatem habent tres servientes nostri, scilicet granetarius, cellararius, et major noster. Si quis autem omnium istorum in justitia comitis captus fuerit vel deprehensus ad presens et

cognitum delictum, justitia erit comitis. Si vero delictum negetur, comes vel sui recredent hominem captum, et delictum probabunt in curia nostra, et, probata veritate, comes justitiam obtinebit. Quod ut ratum et inconcussum permaneat, litteris annotatum sigilli nostri testimonio roboravimus. Actum anno Incarnati Verbi M° C° XC° VIII°. — Archiv. nation., *origin.* avec traces de sceau. — Teulet, *Layettes du trésor des chartes,* t. I, n. 484.

88. — 1198.— « Theobaldus, comes palatinus.. » Ces lettres de Thibaut III, comte de Champagne, reproduisent textuellement, *mutatis mutandis,* les lettres précédentes (n. 87), et elles en sont la contre-partie. « Actum anno Incarnationis Domini M° C° XC° VIII°. Datum per manum Galteri, cancellarii. Nota Petri. » — Archiv. de l'Aube, *origin.*

89. — 9 mai 1198.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Trecensibus salutem et Apostolicam benedictionem. Ea, que auctoritate Sedis Apostolice ratione previa statuntur, firma debent et illibata servari ; et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit presidio communiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, sententiam quam dilecti filii.. decanus et precentor Senononsis ecclesie, judices a Sede Apostolica delegati, pro vobis contra monachos de Cella super decima novarum vinearum, que sunt apud Pontem Sancte Marie, canonice pro-

tulerunt, ricut rationabiliter lata est, nec legitime appellationis remedio sublevata, auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis (*ut supra* n. 27). Datum Rome apud Sanctum Petrum, VII id. maii pontificatus nostri anno primo. — *Origin.* liasse G-3155.

90. — 1198.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, episcopo Trecensi salutem et benedictionem Apostolicam. Injuncti nobis officii ratione compellimur, et charitatis debito provocamur fratribus et coepiscopis nostris in suis justis petitionibus favorem Apostolicum impertiri, ut qui specialiter in partem nostre sollicitudinis sunt vocati, tanto commissum sibi officium liberius exsequantur quanto se et jura sua majori viderint Sedis Apostolice benignitate juvari. Ea propter, venerabilis in Xpisto frater, tuis justis precibus benigno concurrentes assensu, ad exemplar predecessorum nostrorum felicis memorie Lucii et Clementis Romanorum pontificum, auctoritate tibi presentium indulgemus ut clericos tue diecesis, qui contra statuta Lateranensis concilii, prave cupiditatis ardore, plures ecclesias vel ecclesiastica beneficia detinere contendunt, cum de proventibus unius ipsi congrue valeant sustentari, ad canonicum valeas reducere moderamen. Clericos vero ecclesie tue, quos necessitas postulaverit ad sacros ordines pro-

moveri, secundum privilegium M., predecessori tuo, et successoribus suis a felicis recordationis Alexandro papa predecessore nostro indultum, liceat tibi, si idonei fuerint, nec de canonica potuerint institutione repelli, ad eosdem ordines suscipiendos secundum canonum instituta compellere, vel si inobedientes fuerint, animadversionis ecclesiastice sententia cogere; nisi contra hoc alicui fuerit Sedis Apostolice auctoritate indultum ut ad suscipiendos ordines non cogatur. Et quia Trecensis ecclesia, tue provisioni commissa, tuo debet moderamine gubernari, nec ullus in messem tibi creditam falcem debet ausu temerario mittere, presentium auctoritate statuimus ut nulli subditorum tuorum liceat, post appellationem ad te rationabiliter factam, parochianos tuos excommunicatione percellere, vel commissas tibi ecclesias supponere interdicto. Quod si presumptum fuerit, sententiam decernimus non tenere, et si, non precedente appellatione, sententia talis ab aliquo subditorum tuorum fuerit irrationabiliter promulgata, sententiam talem valeas, prout justum fuerit, relaxare. Nullis litteris institutioni canonice prejudicium facientibus a Sede Apostolica impetratis. Datum Rome apud Sanctum Petrum (15-31 maii). — Baluze, I, 105.

91. — 1199.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Milo de

Corlavarzi, miles, in nostra presentia constitutus, donavit ecclesie Beati Petri Trecensis quicquid juris habebat in medietate decime de *Colaverzi*, vel nomine casamenti vel alio modo, ab ipsa ecclesia nomine elemosine perpetuo possidendum ; quam medietatem decime ipsam ecclesiam ex dono bone memorie Henrici, predecessoris nostri, quondam Trecensis episopi, possidebat. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno Domini M° C° XC° nono. *Cartul.* fol. 43 r°. — *Origin.* liasse G-2749.

92. — 1199.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Noveritis quod Milo de *Curtlavardi*, in nostra presentia constitutus, dedit in elemosinam capitulo Beati Petri Trecensis casamentum medietatis decime de *Cortlaverdi ;* et de ipso casamento dilectum filium Johannem, ipsius ecclesie decanum, nomine predicti capituli investivit. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno Domini M° C° XC° nono. — *Cartul.* fol. 43 r°. — *Origin.* liasse G-2749.

93. — 1200.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salu-

tem. Noverit universitas vestra, quod nos in commutationem Marie, filie Galteri de *Valanz*, que femina erat capituli Trecensis, quam homo noster Garnerus de Pagano ducere volebat in uxorem, eidem capitulo dedimus et jure perpetuo habendam concessimus, uxorem Jocelini, filii Girardi de Orvillario, que nostri juris erat, et liberos ipsius, quos ex eodem Jocelino peperit vel fuerit paritura : ut sic dicta Maria cum successione sua nobis et posteris nostris jure perpetuo remaneret. In cujus rei testimonium presentes litteras scribi et sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno gratie M° CC°. — *Origin.*

94. — 1200.

Garnerus, Dei gratia Trecensis episcopus, universis presentes litteras inspecturis salutem in vero Salutari. Noverit universitas vestra, quod nos gratiam et affectum recolentes quem dilecti, filii J., decanus, et capitulum nostrum Trecense erga nos et nostros a nostre promotionis tempore habuerunt, ad petitionem eorum, necnon ad interventum reverendi in Xpisto patris domini nostri Willelmi, Rhemensis archiepiscopi, Sancte Romane ecclesie tituli Sancte Sabine cardinalis, *Hermeniart*, uxorem Rogeri, jamdicti archiepiscopi servientis, cum prole sua suisque tenementis, ipsis donavimus et concessimus jure perpetuo possidendum, ita ut idem capitulum tam in ea quam in pueris suis et bonis eorum id juris habeant quod nos habuimus

et predecessores nostri Trecenses episcopi preteritis temporibus habuerunt. Ut autem hec donatio nostra rata et inviolabiliter perseveret nec per aliquem valeat aliquatenus infirmari, presentes litteras scribi et sigilli nostri patrocinio fecimus roborari. Actum anno Domini M° CC°. — *Origin.* liasse G-2621.

95. — 1200.

Ego Th., Trecensis comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, quod Petrus, miles de Valentigniaco, in mea presentia recognovit se vendidisse canonicis Beati Petri Trecensis quicquid habebat in decima de Valentigniaco. Ego vero, de cujus feodo predicta decima movebat, venditionem illam laudavi et ad petitionem utriusque partis sigilli mei munimine roboravi. Actum Trecis, teste me ipso, anno Domini M° CC°, mense aprili. — *Origin.*

96. — Juillet 1200.

Ego Clarembaudus, dominus de Cappis, presentibus et futuris notum facio, quod dominus Bovo de Sancto Sepulchro, miles, donavit in perpetuam elemosinam capitulo Beati Petri Trecensis medietatem partis sue quam habebat in modiationibus de Sancto Saviniano, de Rilleio et de Capella Sancti Petri; et sciendum est quod in illis modiationibus habebat duas partes, domina vero de Vendopera terciam partem. Hanc autem donationem concesserunt pariter et laudaverunt Bovo, filius, et alii liberi ejus-

dem. Ego etiam, de cujus feodo predicte modiationes movent, hoc ipsum concessi, et adposita sigilli mei impressione, benigne et diligencius approbavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo, mense Julio. — *Cartul.* fol. 53 r°. — *Origin.* liasse G-2857.

97. — Vers 1200. — « Lettres par lesquelles Clarembaud de Chappes, certifie que le chevalier Beuve de Saint-Sépulcre a engagé à ce chapitre pour 330 l. de Provins tout ce qu'il avait dans le terrage, les coutumes et le moulin de Chauchigny ; dans les terrages de Sainte-Maure, Froide-Rive et Saint-Benoit, dans le terrage, les coutumes, les tailles et dans toute la terre et le domaine de Saint-Sépulchre ; son pré des Fouces ; le quart dans les maisons qu'il a engagées à sa sœur, dame de Vadémons, lequel quart ledit Beuve perçoit sans préjudice dudit engagement ; tous les prés qu'il a auprès de Troyes. Le tout valant annuellement 30 l. de rente, et demeurant engagé au chapitre pour ladite somme, en conséquence de quoi ledit Beuve en a investi ce chapitre, et le chapitre l'a rendu audit Beuve pour le tenir au nom du chapitre, à charge de la part dudit Beuve d'en rendre annuellement audit chapitre 30 l., savoir, 15 l. à la Pentecote, et 15 l. à la Saint-Denis pour acquitter lesdites 330 l. Faute de paiement en temps voulu le chapitre pourra saisir lesdits biens, en faire les fruits siens, et faire excommunier ledit Beuve. Et quand par le paiement annuel desdites 30 l. ladite somme de 330 l. sera acquittée, tous lesdits biens retourneront audit Beuve ou à ses héritiers. Clarembaud approuve cet engagement comme étant de choses qui sont dans son fief, et se réserve la faculté de les faire saisir, faute par ledit Beuve ou ses héritiers de lui faire la prestation de service à laquelle il a droit comme seigneur suzerain. — *Cartul.* 53 r°.

98. — Janvier 1200 (*v. st.*).

Garnerus, Dei gratia episcopus, Joannes, decanus, et capitulum Trecense, omnibus ad quos littere iste pervenerint salutem in salutis Actore. Quoniam ex propria fragilitate instruimur ut non ad transitoria sed eterna debeamus nostre mortalitatis opera inclinare, sicut juxta apostolum sive morimur sive vivimus Domini sumus, ita ad opera Domini et ad ampliandum cultum nominis sui sic pre ceteris debemus intendere quemadmodum in hereditate Domini specialiter ei sumus et pre ceteris deputati, quos in sorte levitica preter nostrum meritum voluit evocare. Cum itaque Manasses, cantor ecclesie nostre, sicut vir nobilis, magnis et multis negotiis detineatur frequenter, et ob hec ecclesia ipsa aliquando cantoris officio ex ipsa necessitate non carere non possit, nos et huic facto volentes remedium adhibere, et ad honorem tam ecclesie nostre quam Creatoris et gloriosi apostoli cujus nomen invocatur in ea, juxta quod fere in omnibus ecclesiis Gallicanis quasi ex generali est consuetudine ordinatum, eidem cantori cum assensu ipsius novum adjunximus succentorem, qui officii sui cum oportuerit ministerium exequatur. Sane idem cantor ei jus scolarum et regimen et quicquid eis annexum est, que primitus ad cantoriam spectabant, preter sexaginta solidos annui redditus, qui ad cantoriam pertinent ex donatione Henrici bone memorie, quondam Trecarum

comitis, et denarios censuales qui sunt apud Fossam Sancte Savine, ipsi succentorie concessit. Succentor autem, et omnes successores ejus, de manu cantoris succentoriam recipient, et de ea Trecensibus cantoribus exhibere hominium tenebuntur, habituri de singulis pueris canonicis nostris decem solidos annuatim et justitiam in omnes pueros chori, tam presente quam absente cantore. Habebit etiam potestatem tam pueros quam clericos inducendi in chorum, et justitiam in clericos non canonicos chori, in absentia cantoris, eamdem quam cantor si presens esset haberet. Dabit autem cantor motu suo, et omnes successores ejus, succentoriam cui voluerint ydonee persone, ut officium istud per seipsum possit et sciat sine scandalo adimplere, utque in ecclesie nostre residentia perseveret. Nec in collatione succentorie alicujus consensum requirat, eo dumtaxat servato, ut si canonicus ecclesie nostre fuerit, aut diaconus erit, aut infra annum recipiet ordinem sacerdotis. Solvet etiam nonam quam cantor nobis suo tempore solvere consuevit. Siquidem nos, eo quod cantoria in resignatione collationis scholarum diminuta erat, ei communi voluntate et successoribus ejus ecclesiam de Valentigniaco concessimus in omni ea libertate in qua nos decanus et capitulum possidemus ecclesiam Sancti Nicetii apud Trecas. Fuit autem Nicolaus clericus ad hoc officium deputatus, et ei cantor juxta tenorem predictum succentoriam concessit. Nos autem, ut factum istud perpetua stabilitate firmetur, ipsum presentibus litteris

inseri, et sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Actum anno Domini M° CC°, mense januario. — *Origin.*

99. — 1201.

Ego Erardus de Brena, dominus Rameruci, notum facio presentibus et futuris, quod, cum dilecto meo Droconi de Planceio, Trecensi canonico, terragium de Novilla apud *Troan*, quod de meo erat feodo, in elemosina datum fuisset a domina Margareta et heredibus ejus, laudavi ei, et concessi quod ei liceat jam dictum terragium vendere, vel pignori obligare, vel pro anima sua dare cuiquam voluerit, ita quod si in manum laicum convertatur, a nobis feodaliter teneatur; si vero ipsum ecclesie conferri contigerit, sub custodia mea et potestate consistat. In cujus rei testimonium presentes litteras scribi, et sigilli nostri munimine volui roborari. Actum anno Verbi Incarnati M° CC° primo. — *Origin.* liasse G-3342.

100. — 1201.

Ego Garnerus, dominus Trianguli, notum facio presentibus et futuris, quod, cum discordia esset exorta inter me et capitulum Beati Petri Trecensis super Xpistiano de Escheminiis et fratribus et sororibus suis: tandem, pacis amore, idem capitulum communiter michi et heredibus meis dictum Xpistianum et fratres et sorores ipsius atque omnem

generationem ipsorum in perpetuum possidendos quitaverunt. Ego autem, laudante uxore mea Agnete, in recumpensationem hujus facti, et pro remedio anime mee, dedi et assignavi ecclesie predicte quatuor libras et decem solidos annui redditus, in foro meo de Marigniaco, ad octavas Natalis Domini singulis annis percipiendas, ita quod si forum meum aliquo casu deciderit, quicumque villam de Marigniaco tenuerit, predictas quatuor libras et decem solidos ad prefixum terminum reddere tenebitur annuatim. Si vero, sicut predictum est, dicta summa annuatim non fuerit persoluta, concessi prefato capitulo ut liceat ei justiciam ecclesiasticam facere super me et super terram meam, aut super dominum Mareigniaci, quicumque fuerit, et super terram ipsius. Ad hujus igitur debitam rei firmitatem, presentem paginam sigilli mei impressione muniri precepi. Actum anno Domini M° CC° primo. — *Cartul.* fol. 55 r°. — *Copie,* liasse G-3045.

101. — Décembre 1201.

Petrus, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint salutem in omnium Salvatore. Noverit universitas vestra, quod dilecti filii decanus, et capitulum Trecense, Jocelino presbitero ecclesiam Sancti Nicecii, ad preces nostras, sub annua pensione XL librarum pruviniensium concesserunt habendam. Que videlicet pensio in Natali Domini, in Pascha, in festo beate Marie Magda-

lene in festo Omnium Sanctorum annis singulis debet solvi, in unoquoque termino decem X libre. Idem autem Jocelinus confessus est coram nobis se ipsis capitulo jurasse, quod pensionem predictam statutis terminis bona fide solveret, et quam cito deficeret in aliquo terminorum libere posset ab eadem ecclesia amoveri, nec super hoc capitulum ipsum in causam traheret vel in aliquo molestaret. Sane Galterus, laicus, frater ipsius Jocelini, se erga ipsum capitulum in predicta pensione constituit responsalem, eo modo, quod quam cito idem Jocelinus deficeret in solutione unius terminorum, domus ipsius Galteri, prope ecclesiam Sancti Nicecii sita, esset pro X libris ipsi capitulo obligata. Actum anno Domini M° CC° primo, mense decembri. — *Origin.* liasse G-3377.

102. — 1202.

Johannes, decanus, et universum Sancti Petri Trecensis capitulum, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod nos pari assensu et unanimi voluntate dedimus in excambium duas feminas ecclesie nostre Odiernam scilicet, filiam Evrardi, quondam majoris nostri, et Mariam, filiam Clare de burgo Sancti Dionysii, pro Sibilla, filia defuncti Johannis Briderie, illustri comitisse Campanie Blanche et successoribus ipsius. Actum anno Incarnati Verbi M° CC° secundo. — Bibliot. de Troyes, *Cartul. Comitum Campanie*, ms. 22, p. 26.

103. — Janvier 1203 (*v. st.*).

Milo, Trecensis archidiaconus et episcopalium procurator, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod dilectus noster Garnerus de Meriaco, cantor Trianguli, concessit in perpetuum et quitavit ecclesie Beati Petri Trecensis, laudantibus et concedentibus fratre suo domino Garino de Meriaco, uxore etiam ejusdem Garini et liberis, quicquid habebat in omnibus commodis in decima bladi de Castris, cum tractu ejusdem decime; qui scilicet tractus, et quicquid habebat in decima supradicta, ad jam dictum Garnerum jure hereditario pertinebat. Siquidem ipse Garnerus fidei sacramento firmavit quod bona fide et pro posse suo dicte ecclesie ipsam garentizabit quitacionem, si forte de ipsa contra predictam ecclesiam per aliquos questio moveretur. Nos autem, qui rerum episcopalium procuracionem habemus, eo quod ipsa decima de Castris de feodo domini episcopi movere dinoscitur, quitacionem et tractus et decime factam, ut duximus, a jam dicto Garnero, ecclesie Trecensi fieri concessimus et laudavimus, quantum ad nos, tanquam scilicet ad procuratorem spectabat. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri fecimus impressionne muniri. Actum anno Domini M° CC° III°, mense januarii. — *Cartul.* fol. 58 v°. — *Origin.* liasse G-2751.

104. — Janvier 1203 (*v. st.*).

Frater Galcherius, Molismensis ecclesie dictus abbas, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod dilectus consanguineus noster Garnerus de Meriaco, cantor Trianguli, in nostra presencia constitutus, concessit in perpetuum et quitavit ecclesie Beati Petri Trecensis quicquid habebat in decima bladi de Castris, in omnibus commodis, et tractum ejusdem decime ; que decima, cum tractu, ad eum jure hereditario pertinebat. Hanc siquidem quitacionem fieri concesserunt et laudaverunt ecclesie supradicte dominus Garinus de Meriaco, frater ipsius Garneri, uxor etiam et liberi ejusdem Garini, in nostra presencia constituti. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri impressione muniri. Datum anno Domini M° CC° tercio, mense januario. — *Cartul.* fol. 58 r°. — *Origin.* liasse G-2751.

105. — Janvier 1203 (*v. st.*).

Ego Galterus, Campanie cancellarius, notum facio et testificor presentibus et futuris, quod venerabilis cantor Trianguli Garnerus de Meriaco concessit in perpetuum, et quitavit ecclesie Beati Petri Trecensis quicquid habebat in omnibus commodis in decima bladi de Castris, et tractum ejusdem decime ;

que decima, cum tractu, ad eum jure hereditario pertinebat. Hanc itaque quitacionem fieri concesserunt et laudaverunt in presencia mea ecclesie supradicte frater ejusdem Garneri dominus Garinus de Meriaco, uxor et liberi ejusdem Garini. In cujus rei noticiam presentes litteras sigilli mei feci testimonio communiri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tercio, mense januario. — *Cartul.* fol. 58 r°. — *Origin.* liasse G-2751.

106. — 1193-1204. — « Lettres par lesquelles l'évêque Garnier reconnaît son évêché chargé, à raison de la donation à lui faite d'un pré par Eudes dit Jocelin, de 20 s. de rente envers ce chapitre pour l'anniversaire dudit Eudes. Il témoigne aussi avoir donné aux religieuses de Foissy la moitié des coutumes des Chapelles. » — *Cartul.* fol. 43 v°.

107. — 1204.

Ego Blancha, comitissa Trecensis palatina, notum facio tam presentibus quam futuris, quod, cum inter capitulum Beati Petri Trecensis, et Henricum de Chinigiaco discordia verteretur super justicia, vieria et quibusdam consuetudinibus, quas idem Henricus clamabat in tribus villis dicte ecclesie, scilicet, *Orvilers, Valanz,* et Sancto Georgio, in potestate etiam et hominibus earumdem villarum asserens memoratum capitulum memoratas justiciam, vieriam, et alia predicta, a suis predecessoribus et ab ipso, sub admodiatione duodecim modiorum avene, diutius possedisse, que omnia capitulum ei negabat; tan-

dem, post multas rationes hinc inde propositas per me et per venerabiles viros abbatem Pontigniaci, Galterum cancellarium meum, et Milonem Trecensem archidiaconum, in quos ab utraque parte fuerat compromissum de predicta discordia, compositum est in hunc modum : Henricus de Chinigiaco, predictam justiciam, vieriam, et consuetudines predictas ecclesie et capitulo Beati Petri dimisit in perpetuum, et quittavit. De duodecim autem modiis avene, quos prefatus Henricus et predecessores sui in tribus villis prefatis ab antiquo percipere solebant, dicte ecclesie et capitulo dimisit sex modios in perpetuum et quittavit ; et quicquid juris in tribus prenominatis villis, in potestate etiam, et hominibus earumdem villarum habebat, vel habere poterat, similiter ecclesie et capitulo dimisit in perpetuum et quittavit, excepto feodo quod Guido *Gasteblé* tenet de ipso, quod feodum remanet in justicia dicte ecclesie et capituli, et exceptis quibusdam hominibus, quos ipse Henricus in memoratis villis habet, qui homines similiter remanent in justicia et salvamento dicte ecclesie et capituli. Pro predictis autem quittationibus dedit capitulum sepe dicto Henrico quadringintas et quinquaginta libras Pruvinensis monete. Alios vero sex modios reddent ei vel ejus mandato majores vel servientes capituli, singulis annis in perpetuum infra octavas sancti Remigii, et adducent ei apud Sanctum Memorium in domum suam, ad rectum bichetum Trecense recte et legitime mensurandos. Sed occasione hujus bladi

non poterit ipse Henricus, vel ejus heredes, aliquid aliud in memoratis villis, in potestate vel hominibus earum, in posterum reclamare. Si vero isti sex modii avene soluti non fuerint in integrum termino constituto, Henricus de rebus hominum dictarum villarum, sine injuria aliqua ecclesie vel capitulo aut etiam ipsis hominibus propter hoc inferenda, capere poterit usque ad valentiam defectus, vel usque ad valentiam sex modiorum integrorum si nichil adhuc receperit, donec de sex modiis avene creantum ejus fiat. Hanc itaque compositionem et quittationes predictas voluit et laudavit Verderia, uxor Henrici. Ut autem hec omnia nota permaneant et rata teneantur, ad peticionem utriusque partis presentem cartam fieri volui in testimonium et confirmationem, et sigilli mei munimine roborari. Actum Trecis, anno gratie millesimo ducentesimo quarto. Datum per manum Galteri, cancellarii. Nota Johannis. — *Cartul.* fol. 51 r°. — *Origin.* liasse G-3017.

108. — 1204. — « Johannes, decanus, totumque capitulum Beati Petri Trecensis » notifient l'accord précédent (n. 107), consenti avec « Henrico de Chinigiaco.. super justitia, vieria.. in *Orvilers*, *Valanz* et Sancto Georgio. Actum Trecis, anno gratie M° CC° quarto. » — *Cartul.* fol. 52 v°. — Archiv. nation., *origin.* avec traces de sceau. Teulet, *Layettes du Trésor des Chartes*, t. I, n. 740.

109. — Janvier 1204 (*v. st.*).

Drogo de Planceio, cononicus Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis in Domine salutem. Cum dilecti et venerabiles domini Milo, decanus, et capitulum Beati Petri Trecensis, michi benigne concesserint, ut quicquid habent apud Sanctum Saturninum et Warciam, tam in hominibus quam in aliis, sub annua pensione XX solidorum, sub nomine Trecensis ecclesie, quamdiu canonicus ero Trecensis, pacifice possideam et quiete, in ea omnimoda integritate in qua bone memorie H. de Sancto Quintino, quondam Trecensis ecclesie archidiaconi, illud idem possedit, nomine ecclesie memorate. Ne essem beneficii ingratus accepti, memoratis decano et capitulo affectu benigno concessi, ut tam ipsa michi facta concessio quam ea quecunque adquisiero in villis duabus predictis post decessum meum, vel quomodocunque Trecensi prebenda carebo, ad predictum capitulum et Trecensem ecclesiam sine difcultate qualibet devolvantur, grata pace perpetuo ab eadem ecclesia possidenda. In cujus rei memoriam presentes litteras scribi, et sigilli mei feci testimonio communiri. Actum anno Domini M° CC° quinto, mense januario. — *Cartul.* fol. 59 r°. — *Origin.* liasse G-3316.

110. — Juillet 1205.

Helissendis, domina Capparum, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis Actore. Cum karissimus dominus et maritus meus Clarembaudus, quondam dominus Capparum, in mortis articulo constitutus, ecclesie Beati Petri Trecensis XL solidos annui redditus pro anniversario suo, et patris sui, singulis annis in perpetuum celebrando, legaverit, de ipsa parte quam in minagio Trecarum jure vicecomitatus habebat annuatim habendos : ego, que anime ipsius teneor et beneficis et orationibus subvenire, legatum illud approbo et concedo, ita quod quandiu vixero dictos XL solidos dicte ecclesie singulis annis in nundinis S. Johannis sine interruptione reddi faciam de dicta parte minagii supradicti. Et quicumque partem illam post decessum meum habebit, ipsam elemosinam, in eisdem nundinis supradicte ecclesie, sine difficultate qualibet reddi faciet annuatim. Quod ut ratum sit et inconcussum permaneat, litteris annotatum sigilli mei testimonio confirmavi. Actum anno Domini M° CC° quinto, mense julio. — *Cartul.* fol. 54 r°. — *Origin.* liasse G-2636.

111. — Juillet 1205.

Milo, archidiaconus, episcopalium procurator, Galterus, cancellarius Campanie, et Girardus de Barro, canonicus Trecensis, omnibus presentes litteras ins-

pecturis salutem in omnium Salvatore. Cum ab universo Trecensi capitulo sit concessum ut Galterus, nepos mei Girardi de Barro, domum mei Girardi cum appendiciis suis post decessum mei Girardi, in tota vita sua, si clericus fuerit, in pace possideat, vel si clericus non fuerit, prima venditio dicte domus mei Girardi erit ad emendum redditum pro meo anniversario faciendo ; et si idem Galterus priusquam ego Girardus forte decesserit, nichilominus anniversarium mei Girardi fiet in perpetuum annuatim de venditione predicta. Ne ego Girardus incurrerem ingratitudinis vicium granchiam meam, que sita est ante domum prenominatam, cum stabulis et appendiciis ejus ecclesie Beati Petri Trecensis dedi in perpetuum et quitavi, Guidone fratre meo plateam suam, que est ante sepedictam domum, de consensu et voluntate uxoris et liberorum suorum, eidem ecclesie concedente et quitante in perpetuum possidendam. In cujus rei testimonium presentes litteras scribi, et sigillorum nostrorum impressionibus fecimus communiri. Actum anno gratie M° CC° quinto, mense julio. — *Cartul.* fol. 58 v°. — *Origin.* liasse G-2628.

112. — 1205.

H. de Curia Dei, et A. de Fonte Johannis, abbates, et E., prior de Flotlano, omnibus tam presentibus quam futuris qui presentes litteras viderint in Domino salutem. Cum inter venerabiles viros

Garnerium, abbatem, et capitulum S. Benedicti Floriacensis ex una parte, et M. decanum et capitulum Trecensem ex altera, questio verteretur super domo que fuit Willelmi *Testart*, quondam Trecensis canonici, tandem, mediantibus bonis viris, de assensu etiam et conscientia nostra coram quibus eadem questio auctoritate Apostolica vertebatur, talis inter ipsos compositio intercessit : quod jamdicti abbas et conventus S. Benedicti memorato capitulo et ecclesie Trecensi quitaverunt in perpetuum memoratam domum et quicquid juris habebant vel habere poterant in ea, sicut idem Willelmus *Testart* dum viveret eam tenebat. Ipsi autem canonici pro bono pacis et quitacione predicta memoratis abbati et capitulo S. Benedicti XXX et tres libras pruviniensium persolverunt. In cujus rei memoriam presentes litteras fieri, et sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Actum anno gratie M° CC° quinto. — *Cartul.* fol. 56 r°. — *Origin.* liasse G-3505.

113. — Avril 1206 (Pâques 2 avril). — Deux chartes relatives à la « domus Dei de Chaleta » la première de ces chartes est donnée par « Milo, decanus, et totum capitulum ecclesie Beati Petri Trecensis » et la seconde par « frater Droco, Beati Lupi Trecensis dictus abbas, et totus ejusdem loci conventus. — Voir notre *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Loup*, n. 143 et 144.

114. — 16 janvier 1206 (*v. st.*).

Magister Jobertus de Ponte, Senonensis curie officialis, omnibus presentes litteras inspecturis in Do-

mino salutem. Noverint universi, quod, cum *Aaliz* de Castro Guitonis, et Gualcherus, et Arnulphus bone memorie, ejus filii, de assensu et ad laudem sororum suarum, capitulo Beati Petri Trecensis vendidissent decimam de Castro Guitonis, tali interposita condicione, quod si forte Teobaldus, eorum nepos, reclamaret, ipsa *Aaliz*, ad valentiam trium modiorum bladi, dicto capitulo recompensationem faceret jam dicte decime in molendinis et aliis possessionibus suis : tandem, memorato Teobaldo reclamante, *Aaliz* recompensationem supradictam fecit in quodam molendino de Castro Guitonis ; sed quia proventus ejusdem molendini non sufficiebant ad valentiam dicte recompensationis percipiendam, judicatum fuit quod molendinum illud et tota *Aaliz* terra, ad quoscumque heredes deveniret, teneretur et obligaretur dicto capitulo in III modiis bladi annuatim persolvendis, de specie bladi et ad mensuram patrie quod in autentico venerabilis viri Guarnerii bone memorie, quondam Trecensis ecclesie episcopi, continetur. In cujus rei memoriam presentem paginam fecimus annotari, et sigillo Senonensis curie sigillari. Actum anno gratie M° CC° sexto, mense januario die martis post festum beati Hilarii. — *Cartul.* fol. 56 v°. — *Origin.* liasse G-3292.

115. — Février 1206 (*v. st.*)

Frater Droco, Beati Lupi Trecensis dictus abbas, omnibus qui presentes litteras viderint in Domino

salutem. Noverit universitas vestra, quod domina *Aaliz* de Castro Vitonis, constituta in nostra presentia, ecclesie Beati Petri Trecensis assignavit perpetuo III modios bladi ad mensuram Villemauri, videlicet, dimidium modium frumenti et duos modios et dimidium molture laudabilis, percipiendos singulis annis in terra que de capite suo est, apud Sanctum Medardum vel alibi ubicumque sita sit, ita quod quicunque eandem terram post eam tenuerint, ex ea predictos tres modios bladi dicte ecclesie in perpetuum reddere tenebuntur. Hec autem assignatio facta est a predicta domina, eo quod non poterat garentire canonicis Beati Petri quamdam decimam quam emerant ab ea et a duobus filiis suis Arnulfo et Gauchero. Hoc non laudaverunt Godefridus, miles, gener ejusdem domine, cum uxore sua Amelina. Quod nos ad petitionem decani et capituli et ipsius domine scribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Incarnati Verbi M° CC° sexto, mense februario. — *Cartul.* fol. 93 r°. — *Origin.* liasse G-3292.

116. — Février 1206 (*v. st.*).

Ego Guido de Capis, omnibus presentes litteras inspecturis notum facio, quod bone memorie Galterus, quondam Campanie cancellarius, frater meus, dum ageret in extremis, ecclesie Beati Petri Trecensis legavit sexaginta solidos annui redditus in portione proprii patrimonii, que ipsum jure heredi-

tario contingebat, et quam possidebat in vita, videlicet, in redditu qui vulgo vocatur *Fresanges*, et qui apud Vacheriam, Clareium, et villas alias ad hoc appendicias, percipi consuevit. Persolventur autem annis singulis, in perpetuum, in octavis sancti Andree, apostoli, et distribuentur in anniversario suo inter clericos non canonicos viginti solidi, et inter canonicos quadraginta. Statuit insuper, ut qui post eum in eodem patrimoniali redditu suo jure hereditario vel alio modo succedet, per se ipsum, vel majorem, aut servientem suum, quem ad colligendum dictum redditum deputabit, eidem ecclesie fidelitatem facere teneatur; quod dictos sexaginta solidos, cum aliis sexaginta, quos ecclesie Beati Stephani Trecensis simili modo legavit, sine mora et difficultate persolvet de denariis qui in eodem redditu primo fuerint colligendi. Ego itaque, qui in facto ipso presens extiti, donationem predictam et constitutionem concessi fieri et expresse laudavi; et de eodem redditu Girardum, camerarium Beati Petri, nomine capituli, et per ipsum ecclesiam investivi, ut ipsum redditum perpetuo, juxta quod predictum est, debeat possidere. Et ad majorem hujus rei firmitatem, feci presentem paginam sigilli mei munimine roborari. Actum anno Incarnationis Dominice M° ducentesimo sexto, mense februario. — *Cartul.* fol. 54 r°. — *Origin.* liasse G-2636.

117. — Avant 1207.

Ego Blancha, comitissa Trecensis palatina, notum facio presentibus et futuris quod Remsendim, relictam Theobaldi Abrae, feminam meam, dedi canonicis Beati Petri Trecensis, et habendam in perpetuum concessi cum liberis suis qui amodo nascentur ex ea, tali conditione, quod predicti canonici unam de feminis suis ad valentiam istius, quandocumque opportunitas se dederit, in excambium michi dabunt. Quod ut ratum permaneat et firmum, presentem cartam fieri volui, et sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Verbi Incarnati M° CC° septimo, mense augusto. Data vacante cancellaria. — *Origin.* liasse G-2621. — Le sceau pendait à des fils de soie rouge et verte.

118. — 20 février 1207.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Trecensi capitulo, salutem et Apostolicam benedictionem. Examinatis studiis eligentium et meritis electorum, super duabus electionibus in vestra ecclesia celebratis, utramque cassavimus secundum canonicas sanctiones ; consequenter autem injunximus canonicis vestris, qui a vobis acceperant potestatem, ut si contingeret utramque electionem de jure cessari, personam idoneam juxta consilium nostrum eligerent in pastorem, ut de corde puro et de conscientia bona et fide non ficta idoneas no-

bis nominarent personas, ex quibus illam, quam nos magis idoneam crederemus, secundum consilium nostrum eligerent in episcopum. Et factum est ita. Nam quibusdam personis idoneis nominatis, dilectum filium nostrum Herveum, virum utique vita, scientia, et fama preclarum, secundum consilium nostrum concorditer in pontificem elegerunt, et nos electionem ipsius, authoritate curavimus Apostolica confirmare. Quocirca devotioni vestre per Apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus eidem electo reverentiam et obedientiam impendatis, tam debitam quam devotam. Presentantes eum venerabili filio nostro archiepiscopo Senonensi, ut ipsum quantocius ordinare satagat in presbyterum, et in episcopum consecrare. Datum Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas martii pontificatus nostri anno IX°. — *Cartul.* fol. 60 v°. — Camusat, *Promptuar.* fol. 185 r°.

119. — 1207.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod karissimus quondam genitor noster Ludovicus, Matheo, tunc temporis Trecensis episcopo, ejusque successoribus, que subter annexa sunt imperpetuum concessit et confirmavit, videlicet, villam que dicitur Sanctus Leo, cum appendiciis suis; et quicquid juris idem episcopus habebat in villa que dicitur *Avenz*; quicquid juris habebat in villa que dicitur *Lanes*; quic-

quid juris habebat in villa que dicitur Angularia, et insulam que juxta eam sita est, in flumine Alba; villam que dicitur Aquys, cum appendiciis suis, in ea libertate que ipsi Trecensi episcopo a dominis de Villamauri concessa est, videlicet, ut cum Trecensem ecclesiam suo antistite vacare contigerit, domini Villemauri vel ministri eorum, de rebus episcopi vel suorum hominum jurisdictionis ejusdem ville nichil accipient, sed usibus et dispositioni ejus qui illic fuerit subrogandus antistes, in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam idem episcopus habebat in villa que dicitur Gumereium ; et in villa que nuncupatur Summus Fons, cum jure et libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessores sui. Preterea, libertatem sibi et ecclesie sue, a bone memorie comite Hugone concessam, scilicet, ut qui ab eodem episcopo servientes aliquod publicum officium obtinuerint, ab omni justitia et exactione comitum Trecensium, ac suorum ministerialium, quamdiu officium ipsum habuerint, liberi sint et immunes. Adjecit etiam bone memorie supradictus genitor noster, ut domus episcopales et curtes, cum omnibus in eis contentis, in obitu episcoporum illam libertatem obtineant, quam comes Henricus ei concessisse et confirmasse dinoscitur. Ad hec, unum modium frumenti, quem idem comes Henricus ei de molendinis que sub Turre sita sunt, pro hominibus apud curtes Insule habitantibus, dedit in vigilia Omnium Sanctorum annuatim persolvendum ; et unum sextarium frumenti in novis mo-

lendinis juxta ecclesiam Sancti Quintini, pro censu quem debet Paganus de Tuso ; furnum quoque in Burgo Episcopi, in ea integritate libertatis quam ei memoratus comes Henricus concessit, et scripto suo roboravit. Centum etiam solidos quos idem comes Henricus dedit matriculariis ecclesie Sancti Petri in theloneo suo Trecensi, singulis annis persolvendos. Granchiam quoque Ville Cestini, cum appendiciis suis, que acquisivit et acquirere posset. Preterea, honorem de Meriaco, cum casamentis, terris cultis et incultis, fluviis, aquis aquarumve decursibus, pratis, pascuis et nemoribus, servis et ancillis, sicut antecessores ejus ab ipso genitore nostro, et suis antecessoribus, habuerunt. Casamenta etiam que domini de Trianello, castrum videlicet de Venesiaco, cum aliis que ab ecclesia Trecensi habent. Casamenta que Guido de Domnipetra et Hugo de Planceo hactenus ab ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam que vicecomes Senonensis et dominus de Chacenaio apud Molendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Avelleio ab ecclesia Trecensi tenet. Nichilominus etiam casamentum quod vicecomes Sancti Florentini ab ecclesia Trecensi habet, cum aliis omnibus que hactenus ecclesia Trecensis habuisse dinoscitur. Nos igitur predicta omnia, sicut in privilegio patris nostri continentur, confirmamus. Preterea, de donatione prebendarum que vacarunt in ecclesia Beati Petri Trecensis, vacante sede illa, quia non inveniabamus aliquem qui vidisset quod nos ea dedimus, aut quod genitor noster pie recorda-

tionis rex Ludovicus ipsas tempore vacantis sedis vacantes dedisset ; et quia etiam ex assertione plurium audivimus quod prebende, achidiaconatus, et alia beneficia, tempore illo vacantia, futuro reservarentur episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro Herveo, Trecensi episcopo, ut ea conferat et donationem illorum habeat, tam ipse quam successores ejus episcopi Trecenses : concedimus autem eidem episcopo ut de donationibus quas super hiis fecimus suam faciat voluntatem utpote qui nichil juris in hujusmodi donationibus habebamus. Ut autem predicta omnia perpetuum robur obtineant, sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato presentem paginam confirmamus. Actum apud Sanctum Germanum in Loia, anno Incarnationis Domini M° ducentesimo septimo, regni vero nostri anno vicesimo octavo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; S. Guidonis, buticularii ; S. Mathei, camerarii ; S. Droconis, constabularii. Datum, vacante cancellaria. *Monogramme :* Philippus. — *Cartul.* fol. 70 v°. — *Origin.* liasse G-2551.

120. — 31 janvier 1208.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei.. Herveo, Trecensi episcopo.. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur karissimus

in Xpisto filius noster Philippus, rex Francorum illustris, statuerit ut de beneficiis que nuper, sede vacante, concesserat, tuam faceres voluntatem, libere profitendo se in illis nichil juris penitus habuisse, ac tu postmodum ipsa personis idoneis assignaris : nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonice facta est, auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo.. nostre confirmationis (Cfr. n. 27). Datum Rome apud Sanctum Petrum, II kal. februarii pontificatus nostri anno decimo. — Baluze, II, 133.

121, — 7 février 1208.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, Herveo, Trecensi episcopo.. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ex litteris siquidem fraternitatis tue intelleximus evidenter, quod licet inter te ac karissimum in Xpisto filium nostrum Philippum, Francorum regem illustrem, occasione quorumdam archidiaconatuum et prebendarum, quas quibusdam clericis idem rex, ecclesia tua vacante, concesserat, emerserit scrupulus questionis; eodem rege firmiter asserente donationes prebendarum ad se, ipsa ecclesia vacante, spectare, idem tamen rex postmodum jus tuum et libertatem Ecclesie recognoscens, regia benignitate concessit ut archidiaconatus, prebende, ac alia beneficia, que ibidem vacare con-

tigerit, ecclesia ipsa pastoris officio destituta, donationi substituendi pontificis de cetero reserventur; statuens nichilominus, ut de beneficiis que nuper, sede vacante concesserat, tuam faceres voluntatem, libere profitendo se in ipsis nichil juris penitus habuisse. Possessiones insuper et quedam alia tam tibi quam tuis successoribus idem rex auctoritate regia confirmavit; sicut hec omnia in privilegio prefati regis plenius perspeximus contineri, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus litteris duximus inserendum : « In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia Francorum rex. » (Cfr. *supra* n. 29). Nos igitur devotionem regiam propter hoc in Domino commendantes, et tam concessionem quam constitutionem et confirmationem approbantes ipsius, easdem auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo.. nostre confirmationis.. (Cfr. n. 27). Datum Laterani, VII idus februarii, pontificatus nostri anno decimo. — Baluze, II, 132.

122. — Août 1208.

Ego Erardus de Brena notum facio omnibus tam presentibus quam futuris, quod, cum antecessores mei et ego postmodum apud *Troan* annuatim unum gistium habuissemus, considerans quod id esset contra salutem animarum nostrarum, de voluntate et assensu domine matris mee, necnon et venerabilis vitrici mei domini Galcheri de Jovigniaco, et

Helissendis uxoris mee, et aliorum omnium ad quos id pertinebat, Deo et ecclesie Beati Petri Trecensis, in cujus potestate villa predicta est, gistium illud quitavi in perpetuum et remisi, et insuper quicquid juris habebamus vel habere poteramus ego vel successores mei in ipsa villa, tam in corporibus hominum quam in gistio, et in hiis etiam que reclamare poteram juste vel injuste in furto et multro, in falsa mensura, in theloneo, et in omnibus occasionibus undecumque possent quomodolibet provenire, hoc tamen excepto, quod cum latro fuerit deprehensus et judicatus per illum vel per illos qui villam tenebunt ex parte ecclesie Beati Petri, ex tunc in antea michi vel mandato meo nudus reddetur in finibus de *Doenon*, sicut hactenus est consuetum. In recompensatione vero hujus elemosine michi dedit ecclesia C libras de bonis suis, adjiciens etiam quod singulis annis in crastinum sancti Remigii reddent michi, et portabunt ad granarium meum de Rameruco, homines ville LX sextarios laudabilis avene ad mensuram Rameruci, tali pacto, quod ille homo, qui ipsa die non reddiderit id quod pro se de avena debebit, ex tunc de singulis sextariis reddet michi XV denarios pro emenda, et nichilominus inde me capiam de defectu solutionis avene ad ville communitatem. Quod si homines ad predictum terminum avenam apud Ramerucum adduxerint, et aliquo casu contingat vel contentione aut negligentia servientium meorum quominus recipiatur ab illis, quicumque illorum hominum se tercio jurare poterit legi-

time infra quindenam subsequentem, quod avenam suam obtulit ad reddendum, et die quo debuit, et quantum debuit, per hoc solummodo erit soluta avena quam debebat, liber et quietus erit penitus ab emenda, nec serviento meo, vel ballivo aliquo querelam moventi, homini alicui super hoc, ultra prefatam quindenam, ullatenus crederetur. Ecclesia vero B. Petri, quantum in ipsa est, michi remisit et antecessoribus meis quascumque occasione hujus gistii contraximus maculas peccatorum. Actum anno Domini M° CC° octavo, mense augusto. — *Cartul.* fol. 55 r°. — *Origin.* liasse G-3342.

123. — Août 1208.

Ego Johannes, comes Brenensis, notum facio omnibus presentibus et futuris, quod, cum karissimus consanguineus et fidelis meus Erardus de Brena gistium quod habebat apud *Troan* in perpetuam elemosinam quitavisset ecclesie Beati Petri Trecensis, et similiter quicquid juris habebat in eadem villa, sicut in carta ejus inde confecta plenius continetur expressum : elemosinam illam, quia de feodo meo movebat, ad preces et requisitionem prefati Erardi, volui et laudavi, et sigilli mei testimonio confirmavi. Actum anno Dominice Incarnationis M° CC° octavo, mense augusto. — *Cartul.* fol. 55 v°. — *Origin.* liasse G-3342.

124. — 18 Janvier 1209.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, episcopo Trecensi ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum. Cum honestas tua, frater episcope, ac devotio mereantur ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius, in iis que secundum Deum duxeris requirenda, deferimus quanto gratiam Apostolice Sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Ea propter, venerabilis in Xpisto frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ad exemplar felicis recordationis Alexandri, pape, predecessoris nostri, Trecensem ecclesiam, cui auctore Deo preesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam de Sancto Leone et ipsam villam cum appendiciis et pertinentiis earum; ecclesiam de Aquis et villam cum appendiciis et pertinentiis suis; decimam de Barbereio; decimam Capelle-Sancti Luce tam in annona quam in vino; ecclesiam de Calixto; ecclesiam de

Villagruis; ecclesiam de Nigella; ecclesiam de Monte Poterii; ecclesiam de Monte Genoldi; ecclesiam de Barbusia; ecclesiam de Pontibus; ecclesiam de Nogento; ecclesiam Sancti Petri et Sancti Martini de Bocenaio; ecclesiam de *Avanz*; ecclesiam de Mariniaco; ecclesiam de Castris; ecclesiam Sancti Saviniani; ecclesiam de Saveriis; ecclesiam Sancte Maure; ecclesiam de Corlaverdeio; ecclesiam de Verreriis; ecclesiam de Lusineio; ecclesiam de Bulliaco; ecclesiam de Villamauri; ecclesiam Sancti Medardi; ecclesiam de Bretteniaco; ecclesiam de *Fols*; ecclesiam de Barbona; ecclesiam de Esterniaco; ecclesiam de Campo Guidonis; ecclesiam de Busseiaco; ecclesiam de Curia Givoldi; ecclesiam de Tumbis; ecclesiam de Sancto Justo; ecclesiam de Sancto Ferreolo; ecclesiam de Arceiis; ecclesiam Droti de Sancto Basolo; ecclesiam Sancti Ulfi; ecclesiam de Salona; ecclesiam de Calderiaco; ecclesiam de Allebauderiis; ecclesiam de Viaspero cum capella Bonevicine; ecclesiam de Grandivilla; ecclesiam de Herbitia; ecclesiam de Villeriis; ecclesiam de Semonia cum capella Campi Grillonis; ecclesiam de Ulmis; ecclesiam de Estraellis: ecclesiam de Bolegiis; ecclesiam de Summavera; ecclesiam de Septemfontibus; ecclesiam de Puellaremonasterio; ecclesiam de *Poenz*; ecclesiam de Noerio; ecclesiam de Dienvilla; ecclesiam de Crespeio; ecclesiam de Sublenis; ecclesiam de Pigneio; ecclesiam de Hispania; ecclesiam de *Lanes*; ecclesiam de Sumpseio; ecclesiam de Sancta Suzanna; ecclesiam de Pipere; ec-

clesiam de Guasconia; ecclesiam de Marcilliaco; ecclesiam de Summofonte. Preterea canonicales ecclesias ad jus Trecensis ecclesie pertinentes, scilicet, ecclesiam Sancti Nicholai de Sezanna; ecclesiam Sancti Remigii de Pleiotro; ecclesiam Sancti Blicherii de Brecis; ecclesiam Sancti Flaviti de Villamauri; ecclesiam Sancti Nicholai de Pugeio; ecclesiam Sancti Laurentii de Planceio; ecclesiam quoque Sancti Stephani prope civitatem Trecensem, cujus curam decani ejusdem loci de manibus tuis debent suscipere, cum omni obedientia et subjectione quam tibi tuisque successoribus iidem decani cum hominii tenentur exhibitione persolvere, auctoritate Apostolica confirmamus. Ad instar preterea bone memorie Eugenii, pape, predecessoris nostri, abbatiam Sancti Lupi; abbatiam Sancti Petri de Cella; abbatiam Sancti Martini; abbatiam Sancti Petri Aremarensis; abbatiam Sancti Petri de Nigella; abbatiam que vulgo dicitur Oia; abbatiam Sancti Sereni de Cantumerula; abbatiam Sancte Marie de Arripatorio; abbatiam Sancte Marie de *Bullencurt*; abbatiam Sancte Marie de Recluso; abbatiam de Belloloco; abbatiam de Capella; abbatiam de Bassofonte; abbatiam Sancte Marie, que sita est in suburbio Trecassino; abbatiam que vocatur Paracletus. Decimam de Molceio; decimam de Marigniaco; decimam de Arduceio; decimam de Summofonte; decimam de *Avanz*; decimam de Villa Harduini; decimam de Sancto Leone; decimam de Marcilleio; decimam de Bretenaio; decimam de Sancto Victore;

decimam de Claellis ; decimam de Novovico ; decimam de Fonte *Betun;* et decimam de Busseriis, tibi et ecclesie tue auctoritate Apostolica confirmamus. Ad hec, cum de prudentum et religiosorum virorum consilio bone memorie Matheus, predecessor tuus, statuisse dicatur, ut in Trecensi ecclesia numerus septem canonicorum ad minus presbyteri et septem diaconi, preter archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus nulli debeant subrogari nisi presbyteri, vel diaconi, aut etiam alii in talibus ordinibus constituti quod propinquioribus Quatuor Temporibus que occurrunt ad illos ordines, assumantur ; promissione ac professione nichilominus prestita de assiduitate in predicta ecclesia facienda. Idem Alexander, predecessor noster, ejusdem episcopi petitionibus benigne, prout decuit, annuendo, constitutionem ipse ratam habens et firmam, eamdem perpetuis temporibus illibatam manere decrevit ; adjiciens, quod si eis inferiorum ordinum clerici fuerint substituti, et commoniti primis Quatuor Temporibus illos ordines non reciperent, liceret dicto episcopo et successoribus suis illis loca sua et fructus interdicere prebendarum, et si nec sic in subsequentibus Quatuor Temporibus illos ordines non recipere procurarent, eis prorsus amotis, alios subrogandi liberam haberet auctoritate Apostolica facultatem. Preterea, de ipsius episcopi conscientia et voluntate idem predecessor noster instituit, ut si qui canonici Trecensis ecclesie ejusdem episcopi vel successorum suorum aut etiam in ejusdem ecclesie

servitio forsan existerent, vel cum licentia jam dicti episcopi et capituli vacarent scholasticis disciplinis, aut essent infirmitate detenti, suarum nichilominus integros fructus perciperent prebendarum, alii vero canonici, qui ecclesie assidue non servirent, XX tantummodo solidos perciperent annuatim. Insuper, idem Alexander, predecessor noster, adjecit ut tam a prefato episcopo quam a successoribus suis in predicta ecclesia, cum decano careret, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis Quatuor Temporibus que occurrerint in presbyterum ordinetur, et si commonitus in eisdem Quatuor Temporibus ordinem presbyterii suscipere forte neglexerit, fas prefato episcopo et suis successoribus esset illi auctoritatem et potestatem ipsius officii, et sedem in choro et capitulo interdicere, ac si nec sic in subsequentibus Quatuor Temporibus ordinem presbyteratus susciperet, eo amoto, libere alium subrogaret. Nos igitur ejusdem predecessoris nostri vestigiis inherentes, que ab ipso super premissis articulis approbata vel statuta sunt, approbando eadem auctoritate Apostolica confirmamus. Ad hec, ad instar ejusdem Alexandri predecessoris nostri sancimus ut nec tibi neque tuis successoribus liceat prescriptas parochiales ecclesias, ad mensam episcopi specialiter pertinentes, a mensa vestra sine auctoritate Romani pontificis aliquatenus alienare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum (*ut supra* p. 43). Datum Laterani, per manum Joannis, Sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinalis, Sancte

Romane ecclesie cancellarii, XV kal. februarii, indictione XII, Incarnationis Dominice anno M° CC° nono, pontificatus vero domni Innocentii pape tertii anno undecimo. — *Copie.* liasse G-22.

124. — 23 août avant 1209.

Herverus, divina permissione Trecensis ecclesie minister humilis, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod Hanricus de Vanna, canonicus Remensis, in presentia nostra constitutus, libere et absolute terciam partem tocius hereditatis sue ubicunque sit ecclesie B. Petri Trecensis in elemosinam concessit perpetuo possidendam. Recognovit etiam coram nobis se vendidisse capitulo ecclesie duas reliquas partes tocius hereditatis sue ubicunque sint, et quicquid jure hereditario de cetero ei poterit obvenire. Ne autem predicta postmodum possint aliqua malignitate perverti, vel oblivione deleri, ad petitionem predicti Hanrici presentes litteras notari fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Actum Trecis anno gratie M° CC° nono, mense augusti in Vigilia beati Bartholomei, apostoli. — *Origin.*

126. — 1210.

Ego Clarembaudus, dominus Caparum, notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod nobilis vir Hugo, dominus Brecarum, et Oda, uxor

ejus, vendiderunt ecclesie B. Petri Trecensis duas partes totius quod habebant in admodiationibus et omnibus aliis commodis apud Sanctum Savinianum, et apud Capellam Sancti Petri; et aliam tertiam partem in perpetuam elemosinam eidem ecclesie pro remedio animarum suarum contulerunt. Ego vero, de cujus feodo eadem movent, venditionem et elemosinam istam, sicut in autentico ipsius Hugonis continetur, dicte ecclesie laudavi et concessi. Quod ut notum et firmum futuris temporibus permaneat, presentes litteras sigilli mei feci munimine roborari. Actum anno gratie M° CC° decimo. — *Cartul.* fol. 53 v°. — *Origin.* liasse G-2858. — Le sceau était sur des fils de soie rouge et verte.

127. — Avril 1211.

Magister Henricus, curie Trecensis officialis, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis Auctore. Sciat universitas vestra, quod Guiardus de Logniaco, et Milesendis, uxor ejus, in nostra presentia constituti, quitaverunt ecclesie Beati Petri Trecensis quicquid juris habebant in decima de *Planteiz*, ab ipsa ecclesia jure perpetuo possidendum. Hanc siquidem quitationem laudaverunt Odinus et Emelina, filii eorumdem; hoc etiam laudavit Petrus, filius domini Petri de Flaciaco, de cujus feodo dicta decima dicebatur movere. In cujus rei memoriam, presens scriptum sigillo Trecensis curie duximus roborandum. Actum anno Incarnationis Dominice

millesimo ducentesimo undecimo, mense aprili. — *Origin.* liasse G-3130.

128. — Mai 1211.

H[erveus], divina permissione Trecensis ecclesie minister humilis, omnibus presentes inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Petrus de Flaciaco, miles, in nostra presentia constitutus, emptionem, quam dilectus noster Jacobus de Foissiaco, cononicus Trecensis, de sexta parte decime de *Planteiz* ad opus Trecensis ecclesie fecerat, laudavit; que sexta pars erat de feodo dicti Petri. Eamdem et emptionem Agnes, uxor Drogonis de Sancto Leobaudo, quantum in ipsa erat, laudavit coram nobis. In cujus rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno gratie M° CC° undecimo, mense maio. — *Origin.* liasse G-3130

129. — 7 juillet 1212.

B., decanus Beati Stephani Trecensis, totumque ejusdem ecclesie capitulum, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quod, cum discordia verteretur inter nos ex una parte, et venerabiles viros decanum et capitulum Trecense super duabus insulis sitis ante molendinum suum, quod dicitur molendinum de Prato, et super alveis et cursu et partitione aque a jamdicto molendino et supra : tandem, pro bono pacis,

mediantibus bonis viris Motello et Girardo, preposito Trecensi, et aliis, compromisimus ex parte nostra in dominum Henricum de Sancto Mauritio, succentorem, et Johannem Bergerium, concanonicum ecclesie nostre ; et ipsi ex parte sua in venerabilem virum dominum Guiardum de *Pogi*, archidiaconum, et Rolendum, canonicum eorum, qui debent jurare quod diligenter et bona fide debent inquirere et exquirere bonnas, que jamdudum dicuntur posite fuisse et secundum illas debent ibidem facere aque divisiones, non habito respectu ad dampnum vel profectum alterutriusque ecclesiarum. Et si bonne, quod absit, invente non fuerint, ipsi diligenter inquirent a bonis et antiquis viris de antiqua particione ejusdem aque, et secundum inquisitionem factam bona fide ejusdem aque facient particionem. De parva autem insula similiter bona fide inquirent, et eam reducent ad statum in quo antiquitus esse consuevit, et ambe insule per ipsos bonnabuntur, ita quod de cetero non possit discordia suboriri. Si autem, quod absit, ipsos inquisitores discordare in aliquo contingerit, electus est medius dominus Motellus, vel si ipse interesse non poterit, Petrus Gener, qui, secundum inquisitionem ab eis factam, jus suum de discordia, prestito juramento, unicuique reddet ecclesie, sine particione querele. Debent autem hec omnia usque ad diem martis determinari, nisi de censensu fuerit terminus prolongatus inquisitorum. Condictum etiam fuit, quod si jam dicta discordia per inquisitionem istam fuerit terminata,

et altera partium ab eadem resilire voluerit, per dominam comitissam ad ejusdem observantiam cogeretur. Actum anno gratie M° CC° duodecimo, mense julio, in crastino octabarum apostolorum Petri et Pauli. — *Cartul.* fol. 43 r°. — *Origin.* liasse G-3434.

130. — Novembre 1212.

Ego Nicholaus, decanus, totumque capitulum Trecense, notum facimus presentibus et futuris, quod, cum inter nos ex una parte, et dominam nostram Blancham, comitissam Campanie illustrem ex altera, discordia esset de quibusdam hominibus suspensis et de quadam femina interrata, qui capituli fuerant in burgo nostro Sancti Dyonisii, quos scilicet servientes nostri suspenderant apud Vacheriam in nostra justitia extra civitatem Trecensem, et feminam interraverant : tandem ad invicem venimus ad pacem, quod pro bono pacis nos, ex gratia domine comitisse nobis et nostre ecclesie retinenda, imo ex ira ejus placanda, per unum servientium nostrorum, videlicet Bernardum de Burgo Sancti Dionysii, emendam ei fieri fecimus, ita quod de hac emenda fuit super dominum Giroldum, abbatem Molismensem, et ita quod furce, in quibus dicti homines suspensi fuerunt, per nostras dirute sunt servientes. Hoc autem hinc et inde fuit salvo jure domine comitisse et nostro, et salvis etiam utriusque partis libertatibus tam in privilegiis tam in cartis ; et ita insuper quod libertates utriusque partis et jura

per concessum utriusque partis remanserunt in eo puncto in quo etant uno die antequam homines suspenderentur. Actum anno Domini M°CC°XII°, mense novembri. — *Cartul.* fol. 79 v°. — Biblioth. nation. *Cartulare comitisse Blanche* Latin 5993, fol. 24 r°.

131. — Mai 1213.

Herveus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod dilectus in Xpisto canonicus noster Symon de Sovigniaco nos ad opus pium et laudabile invitavit, videlicet, ut unum cereum unius libre institueremus, qui ante altare B. Marie Virginis in Trecensi ecclesia indesinenter arderet omnibus sabbatis a post cantata majori nona usque post sextam horam diei dominice, ad predictum altare cantatam; preterea, in omnibus festivitatibus ejusdem B. Virginis et in festis annalibus, scilicet, in Nativitate Domini, Pascha, Pentecoste, et in festo apostorum Petri et Pauli, et in aliis quatuor sollempnitatibus, scilicet, in festo Omnium Sanctorum, Apparitione, et Ascensione Domini, et in festo Sancte Trinitatis arderet a post cantata majori nona vigilie usque ad horam crastine diei qua matricularii ostia ecclesie claudere consueverunt; institueremus nos ut ad missam majoris altaris in duobus thuribulis incensaretur circa altare, a post cantato *Sanctus Sanctus Sanctus* usque post *Agnus Dei*; et similiter ad tres missas Natalis Domini; et si forte in Adventu

vel in Quadragesima contingeret duas missas in conventu celebrari, predicto modo ministraretur incensum : nos igitur de voluntate et coniventia capituli nostri, cujus sigillum presentibus litteris est appensum, ad honorem domini nostri Jhu Xpisti, et B. Genitricis ejus, ad hec omnia nos obligavimus in perpetuum facienda. Actum anno gratie M° CC° tredecimo, mense maio. — *Cartul.* fol. 77 v°. — *Origin.* liasse G-2551.

132. — 1213.

N[icholaus], decanus, totumque capitulum Trecensis ecclesie, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Notum facimus quod dilectus concanonicus noster Simon de Silviniaco, pro remedio et salute anime venerabilis viri domini Galteri de Pogiaco, olim ecclesie Trecensis archidiaconi, et postmodum episcopi Nivernensis, in elemosinam dedit nobis pratum quoddam suum, quod fuit defuncti Johannis, fratris Roberti Crassi, quod videlicet partitur ad heredes defuncti Theobaldi, majoris, et quod est in Nageria Fossiaci. Et nos ad preces cantoris, et predicti Simonis, eis concessimus quod annuatim et in perpetuum die anniversarii ejusdem Galteri, episcopi, assistentibus servitio distribuemus XX solidos de partitionibus nostris. Quod ut ratum et inconcussum permaneat, sigilli nostri munimine duximus roborandum. Actum anno Incarnati Verbi M° CC° tertio decimo. — *Origin.* liasse G-2908.

133. — Avril 1213. — « Lettres par lesquelles Hervé, évêque de Troyes, certifie que Robert, chevalier de Saint-Mards, a approuvé le rachat d'une partie de la dîme de Saint-Mards et de Villemoiron par Nicolas, doyen de cette église. Cette partie de dîme était entre les mains de Thibaut, seigneur de Château-Hutton, et mouvait pour un tiers du fief de Robert (Cfr. n. 134). » — *Cartul.* fol. 82 r°.

134. — Avril 1213.

Omnibus presentes litteras inspecturis Petrus, abbas Sancti Martini Trecensis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos laudavimus et approbavimus contractum, quem Nicholaus, decanus Trecensis, fecit de redimendo decimam, que est in parrochiis de Sancto Medardo et de Villa *Moiron*, de manu Theobaldi, domicelli de Castro Guitonis, que decima movebat in feodum ab ecclesia nostra, vel in toto vel in parte. In cujus rei testimonium presentes litteras solo sigillo mei, abbatis, quo tunc temporis utebar, fecimus munimine roborari. Actum anno gratie M° CC° tercio decimo, mense aprili. — *Cartul.* fol. 81 v°. — *Origin.* liasse G-3292.

135. — Avril 1213. — Lettres identiques (*mutatis mutandis*) données par « Philippus, abbas Sancti Lupi Trecensis » au nom de l'abbaye de Saint-Loup. « Actum anno gratie M° CC° tercio decimo, mense aprili. » — *Cartul.* fol. 82 r°. — *Origin.* liasse G-3292.

136. — Janvier 1214 (*v. st.*).

Omnibus presentes litteras inspecturis N., decanus Trecensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod dilecte matri mee Trecensis ecclesie dedi et concessi in elemosinam, ob remedium anime mee, ad anniversarium meum singulis annis in eadem ecclesia faciendum, totam decimam meam quam habebam apud Castrum Guitonis in parrochiis Sancti Medardi et de Villa *Moiron*, ita tamen, si in via quam aggressus sum ad Sedem Apostolicam viam universe carnis ingredi me contigerit; si vero forte ad propria contigerit me reverti, de predicta decima meam potero facere voluntatem et ipsam cuicunque ecclesie voluero assignare. Decimam autem quam habeo in pignus apud Aubroissum pro LX libris pruviniensium pono in manu capituli Trecensis, ita quod capitulum eam teneat in pignus pro LX libris, si forte contigerit me mutuo accipere LX libras sub securitatem litterarum mutui quas michi tradiderunt; et si minus mutuo acciperem dicta decima esset predicto capitulo obligata pro quantitate pecunie mutuate. Actum anno Domini M° CC° quatuordecimo, mense januario. — *Origin.* liasse G-3292.

137. — Mai 1214.

Omnibus Xpisti fidelibus presentes litteras inspecturis *Aaliz*, Fontis Ebraudi humilis abbatissa, to-

tusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod, cum quedam controversia verteretur inter et Agnetem, priorissam, et moniales de Foissiaco, ex una parte, et Nicholaum, decanum, et capitulum Trecense, ex altera, super decimis terrarum defunctorum Radulfi de Boilliaco et Theodorici et Duranni de Insulis : tandem mediantibus bonis viris, pax inter nos in hunc modum intervenit, videlicet, quod de terris predictorum Radulfi et Theoderici decimas persolvere tenebimur et de terris defuncti Duranni vicesimam gerbam capitulo Trecensi persolvemus. De omnibus aliis terris, quas possidemus in decimacione sua, que pertinent ad grangiam de Bierna, nullam omnino persolvemus decimam ; sed de omnibus aliis terris, quas deinceps quomodo adquirere poterimus in sepe dicta decimacione capituli, vel infra annum illas alienabimus vel decimas persolvemus. Actum anno gratie M° CC° X° quarto, mense maio. — *Origin.* liasse G-3092.

138. — Décembre 1214.

Herveus, divina permissione Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod Garnerus, miles, cognomento *Boiliaue*, in nostra presentia constitutus, recognovit quod capitulum Trecensis ecclesie redemerat ab ipso tres partes decime vini territorii Montismorelli, quas jure hereditario deti-

nebat, receptis ab eodem capitulo centum viginti libras pruviniensium, eandemque redemptionem coram nobis constitute Maria, uxor ejusdem G., et Amelina, soror ipsius, laudaverunt et concesserunt; ipse etiam G. de prefata decima se in manu nostra devestivit, et nos ex ea Nicholaum, decanum, nomine ecclesie investivimus. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno gratie M° CC° quatuordecimo, mense decembri. — *Cartul.* fol. 80 r°. — *Origin.* liasse G-3089.

139. — 25 février 1217. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopo Senonensi et suffraganeis.. » il les avertit « ut capitula a concilia provincialia inviteutur, et nuntii admittantur. Datum Laterani, V kal. martii pontificatus nostri anno primo. » — *Cartul.* fol. 76 v°. — Biblioth. nation. *Moreau* 1178, p. 269.

140. — Janvier 1217 (*v. st.*).

Herveus, Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Cum decorem domus Dei diligere, et ea que ad cultum vel servitium divinum pertinent ampliare cura propensiore teneamur, pensata ecclesie nostre utilitate, necnon servitii divini honestate, que ex succentorie maxime pendent officio, propter assiduam in ea succentoris residentiam, eidem succentorie concessimus in perpetuum altare beati Johannis, evangeliste, a venerabili predecessore nostro domino

Garnero, episcopo quondam Trecensi, in ecclesia nostra fundatum : ita quod quicumque succentor ecclesie fuerit institutus, altare predictum cum omnibus pertinentiis suis ex sua institutione quiete possideat ; qui etiam in eodem altari vel per se vel per vicarium divina celebret, et in majori altari septimanam in ordine sacerdotati faciat, necnon ad faciendam continuam in ecclesia nostra residentiam teneatur. Actum anno M° CC° X° septimo, mense januario. — Camusat, *Auctarium,* fol. 23 r°.

141. — Juillet 1217.

H[erveus], Trecensis ecclesie minister humilis, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod nos concessimus capitulo Trecensi *Ysabiau,* uxorem Mauricii de Amancia, sine liberis ab ea jam creatis, qui nostri erunt, *pro Isabiau,* filia Guarnerii de Basseio, a Constantio de Basseio homine nostro in uxorem ducenda. Actum anno gratie M° CC° X° octavo, mense julio. — *Origin.*

142. — Avril 1218.

Nicolaus, decanus, et capitulum Trecense, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis quod nos, in communi capitulo residentes, donavimus et concessimus succentorie nostre in perpetuum unum de altaribus ecclesie nostre cum omnibus proventibus ejus, quodcumque vene-

rabilis pater Herveus, Trecensis episcopus, eidem succentorie contulit aut duxerit conferendum : ita quod, quicumque fuerit ad eamdem succentoriam assumptus, in ecclesia nostra assidue residere tenebitur, et septimanam facere ad majus altare in sacerdotali ordine juxta ordinem vicis sue ; sed in predicto altari, quod idem episcopus succentorie adjunxit, per idoneum vicarium de servitio providebit. Nos insuper eidem succentorie unius vicarie beneficium perpetuo concessimus annectendum, quandiu succentor non canonicus fuerit institutus ; sed si succentoria canonico fuerit assignata, ipse memorate vicarie beneficium non habebit; que, si rursus non canonico tribuatur, ipsius vicarie beneficium obtinebit, dum tamen illis horis intersit, quibus vicarii interesse tenentur. Siquidem quicumque, sive canonicus sive non canonicus, de succentoria fuerit institutus, infra annum tenebitur ad sacerdotalem ordinem promoveri, vel anno elapso cantor tenebitur eamdem succentoriam alii persone cenferre. Actum anno M° CC° X° octavo, mense Aprili. — *Cartul.* fol. 57 r°. — Camusat, *Auctarium*, fol. 23 r°.

143. — 18 juin 1218.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen. Nos Jocelinus, archidiaconus, Henricus, cantor, et Guiardus, archidiaconus Trecensis, electi arbitri a venerabili patre Herveo, episcopo, et capitulo Trecensi, super ecclesia de Barbona ; et jure patronatus

ecclesie de Maceio ; necnon super amministratione prunarum in hyeme ad manum ministrorum majoris altaris, et ad opus turibulorum per totum annum ; et propinationem vini ad opus majoris altaris ecclesie Trecensis, sicut in litteris compromissionis continetur, de consilio bonorum virorum et jurisperitorum ita arbitrando ordinamus : adjudicamus ecclesiam de Barbona predicto capitulo, pleno jure, secundum quod in litteris domini Garneri, quondam episcopi Trecensis, continetur ; nos vero H., cantor, et G., archidiaconus, jus patronatus ecclesie de Maceio dicimus ad predictum capitulum pertinere, tertio coarbitro nostro, J., archidiacono, non habente in memoria quod super jure patronatus predicte ecclesie fuerat ordinatum. Nos autem J., archidiaconus, et H., cantor, possessionem amministrationis prunarum in hyeme ad manus ministrorum majoris altaris, et ad opus turibulorum per totum annum ; necnon possessionem propinationis vini ad opus ejusdem altaris prefato capitulo adjudicamus, salva questione proprietatis domino episcopo, coarbitro nostro G., archidiacono Sezennie, aliter sentiente. Actum anno gratie M° CC° XVIII°, mense junio. — *Cartul.* fol. 69 r°. — *Origin.* liasse G-2709. — Les trois sceaux pendaient à des fils de soie rose.

144. — Mars 1218 (*v. st.*).

Ego Agnes, domina de Planceio, notum facio omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, quod,

cum karissimus dominus vir meus Philippus esset Jerosolimam profecturus, ore suo precepit et voluit et injunxit assignationem, quam postmodum feci ecclesie Trecensi, videlicet, XXX solidorum annui redditus et perpetui, quos ecclesie predicte assignavi in pedagio Planceii, qui annis singulis in festo B. Marie Magdalene in perpetuum exsolventur ecclesie memorate, pro anniversario venerabilis domine mee Odeardis, quondam matris domini viri mei, in ipsa ecclesia faciendo, necnon et pro remedio antecessorum suorum et salute. Quod ut ratum sit et inconcussum, presenti scripto meum apponi feci sigillum. Datum anno gratie M° CC° XVIII° mense martio. — *Origin.*

145. — 17 mai 1219.

Omnibus presentes litteras inspecturis frater G., Sigilleriarum dictus abbas, salutem in Domino. Noveritis quod vir nobilis P., dominus de *Boy*, legavit in perpetuam elemosinam domui Dei de Marigniaco et domui Dei Leprosorum ejusdem castri decimam bladi molendinorum suorum de Curva Ripa, receptis prius III modiis bladi et dimidio, quos in eisdem molendinis assignavit idem Petrus illis qui per facturam stagnorum gravati erant de terris et rebus suis, sicut in litteris quibusdam, sigillo dicti Petri sigillatis, que penes nos sunt, plenius continetur. Acta sunt hec anno Domini M° CC° XIX°, mense maio, crastino Ascensionis. — *Origin.* liasse G-3293.

146. — 1219. — Les lettres données à la même date par « P., dominus de Boyo.., Angnete, uxore mea, laudante » sont identiques, *mutatis mutandis*, aux lettres ci-dessus. — *Origin.* liasse G-3293.

147. — 18 novembre 1219. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Victoris Parisiensis [Johanni], et Hermeriarum [Roberto] Premonstratensis ordinis, Parisiensis diocesis, abbatibus, cancellario Parisiensi.. » Le pape remet à leur jugement « Causam, quam venerabilis frater noster episcopus et dilecti filii capitulum Trecenses » moverunt « in B., comitissam, ac Th., natum ejus, comitem Campanie.. de forteritia Meriaci.. » si fieri potest, inter partes amicabiliter componant, facientes quod statuerint per censuram ecclesiasticam observari. « Datum Viterbii, XIII kal. decembris, pontificatus nostri anno quarto. » — Archiv. nation. *origin.* bulle de plomb sur cordelettes de chanvre. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes,* t. I, n. 1368.

148. — 8 decembre 1219.

Honorus, episcopus, servus servorum Dei, dilectiis filiis Sancti Victoris Parisiensis, et Hermeriarum Premonstratensis ordinis, Parisiensis diocesis, abbatibus, et cancellario Parisiensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper vobis dedisse meminimus in mandatis ut cum causa, que inter venerabilem fratrem nostrum Trecensem episcopum ex una parte, et dilectam in Xpisto filiam, nobilem mulierem B., comitissam, ac Th., natum ejus, comitem Campanie ex altera, super forteritia Meriaci vertitur, vobis sit ab Apostolica Sede commissa, inter

eos amicabiliter, si fieri posset, componere aut super hoc providere indempnitati Trecensis ecclesie curaretis. Cum igitur nostre intentionis non fuit quod fortaritia debeat destrui memorata, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatinus eadem fortaritia integre remanente, ad componendum inter partes, vel ad cavendum alias indempnitati ejusdem ecclesie, appellatione postposita, procedatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominis exequantur. Datum Viterbii, VI idus decembris pontificatus nostri anno quarto. — Archiv. nation. *origin.* bulle de plomb sur cordelettes de chanvre. Teulet, *Layettes du Trésor des chartes,* t. I, n. 1374.

149. — Décembre 1219.

Herveus, divina miseratione Trecensis episcopus, omnibus presentes inspecturis notum facimus, quod Ermeniardis, uxor Herberti, eodem Herberto presente et assentiente, in nostra presentia recognovit se vendidisse et quitasse dilecto et fideli nostro Henrico, cantori Trecensi, quicquid juris habebat in decima de Lanis *au bos*, que de sua movebat hereditate, et se de eadem decima in manu dilecti et fidelis nostri Guiardi, archidiaconi et officialis, devestivit, presente Guillelmo, fratre predicte Ermeniardis, a quo prefatus Herbertus pro ipsa Ermeniarde, uxore sua, eamdem decimam tenebat in feodum, qui Guillelmus in nostra et dilectorum filiorum

Guiardi, archidiaconi et officialis, item Guiardi de Pogiaco, et Henrici, archidiaconorum Trecensis ecclesie, presentia quitavit dicto cantori quicquid juris habebat vel habere poterat in ipsa decima ratione feodi vel homagii, et eumdem cantorem de ipsa decima investivit; prenominatus etiam Herbertus, fide data in manu dicti officialis, promisit se legitimam garantiam portaturum predicto cantori. Nos igitur investituram, vice nostri a prefato officiali de eadem decima factam memorato cantori, ratam habentes, et ex superhabundanti de ipsa investientes eumdem, eam volumus et approbamus. Quod ut ratum sit, presentes litteras fecimus in testimonium hujus rei sigilli nostri munimine roborari. Actum Trecis, anno Domini M° CC° XIX°, mense decembri. — *Origin.*

150. — 17 mars 1220. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei.., episcopo Trecensi, et.. decano. » à la prière de Hel., comtesse de Bar-sur-Seine, le pape ordonne « ut heredes M., comitis Barri super Secanam, et G., filii ejus, defunctorum apud Damietam, ad persolvenda debita ipsorum et testamenta exequenda cogatis.. Datum Viterbii, XVI kal. aprilis.. anno IV° pontificatus. » — Bibliot. nation. *Moreau*, 181, p. 93.

151. — Avril 1220.

H., divina permissione Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Notum vobis facimus et testamur, quod nobi-

lis mulier *Aelays* de Logia, et ejus nati Jacobus miles, Droco, Joannes et Guillelmus domicelli adhuc, ex una parte, et Hugo, frater eorum, clericus, primogenitus, ex altera, in nostra starent presentia, rogaverunt nos ut modum cujusdam pacis, quam inter se fecerant, tam scripto quam nostri sigilli munimine firmaremus. Quod nos fecimus, ipsam pacem coram nobis ab utraque parte concessam et fide firmatam, in modum nobis expositum, presenti scripto notantes, videlicet, quod predicta A., mater, et liberi prefati, Hugoni fratri suo primogenito penitus concesserunt ut de omnibus rebus, quas idem H., clericus tenebat infra Trecas vivens atque decedens plenam suam libere faciat voluntatem, et ipse Hugo tam matri sue quam fratribus memoratis quitavit omnes querelas et omne jus quod eidem posset ex parte patris et matris jure hereditario provenire, ita tamen quod si Stephanus, miles, frater eorum, de partibus transmarinis rediens, ad preces dictorum matris et fratrum pacem istam nollet tenere, pax ista inter ipsum H. et matrem et fratres supradictos divisa nichilominus tenet. Sciendum ergo quod hec sunt illa que Hugo habet infra Trecas, videlicet, I stallum ante migeicerios in Macacreria, I stallum quod ad Sanctum Martinum de Areis partitur in ipsa Macacreria ; et domus ubi tunc manebat Theobaldus de *Durtein* ; et I stallum ante domum defuncti Manasseri de Clauso in Macacreria ; I stallum retro Cambitum, de quo Terricus aurifaber debet III solidos censuales ; domus juxta ecclesiam Sancti Johan-

nis ubi cordubanarii manent; et domus Colini, aurifabri, ubi ipse manet; et domus Bertini, cultellarii, in Rua Mediana ; et II logias juxta ecclesiam Sancti Johannis ; et V solidos censuales in domo Terrici, aurifabri. Quod ut ratum permaneat in futurum, ad instanciam utriusque partis fecimus presentes litteras sigilli nostri munimine roborari. Datum anno gracie M° CC° XX°, mense aprili. — *Cartul.* fol. 73 r°. — *Origin.* scellé sur double queue de parchemin, liasse G-3583.

152. — Juillet 1220.

Philippus Beati Lupi, et P. Sancti Martini abbates, et Guiardus archidiaconus et officialis Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis in salutis Actore salutem. Noverint universi, quod Hugo de Logia in presencia nostra constitutus assignavit ecclesie Trecensi XXV libras annui redditus, perpetuo possidendas, in portione hereditatis sue Trecis sita, quam de assensu matris et laude fratrum suorum, scilicet, Jacobi, militis, Droconis Johannis et Guillelmi, domicellorum, vendere poterat et donare et de ea suam omnino facere voluntatem, sicut in litteris venerabilis patris Hervei, Dei gratia Trecensis episcopi, vidimus plenius contineri. Predictorum autem reddituum partes et loca ubi dicti redditus colliguntur duximus exprimenda : III denarios censuales, quos Theodoricus, aurifaber, debet de quarterio cujusdam terre Orti Dei ; et III solidos census in stallo sito retro Cambia,

cum V solidis censualibus sitis in domo in qua Theodoricus habitat memoratus ; necnon et VI denarios census in domo Quadrati, cordubanarii, que sita est retro ecclesiam B. Johannis in foro Trecensi; et III denarios et obolum census, quos Johannes de Latiniaco debet de quadam platea ante domum suam in Tanneria constituta ; item IV libras annui redditus, quas debet Colinus, aurifaber, pro domo sua in qua habitat in Magno Vico sita, in duabus nundinis Trecensibus solvendas annuatim, cum III obolis censualibus, qui ad ipsum Hugonem in eadem domo jure hereditario pertinebant ; preterea, XX solidos census, quos relicta defuncti Bertini, cultellarii, debet de platea ubi sita est domus sua, quam plateam predictus Hugo eidem relicte dicti Bertini ascensivit ab instanti festo B. Remigii usque ad novem annos, quibus elapsis, prefata platea ad memoratam Trecensem ecclesiam sine contradictione qualibet revertetur, ad ejusdem ecclesie capituli voluntatem penitus faciendam; cum XX solidis censualibus in domo uxoris Theobaldi de *Durtein*, in qua est cellarium lapideum, que videlicet domus in vico sita est in quo Guido de Nivella dinoscitur habitare; quin etiam XL solidis census in stallo in Mercereia constituto, de quibus LX solidis predicta ecclesia ad melius parens se tenebit sive domus sive stalli memorati ; item C solidos annui redditus in stallo macelli, quod cum ecclesia B. Martini partitur, et quod idem Hugo de allodio libero et sine censu aliquo possidebat ; domum insuper in quo sunt duo esta-

gia, juxta B. Johannis ecclesiam de Foro sitam, quam dicte ecclesie pro XI libris annui redditus assignavit; et XI solidos annui redditus in stallo macelli ad eumdem Hugonem jure hereditario pertinente, de quo annuatim XV solidos census persolvit. Memorate igitur ecclesie decanus et capitulum.. ne tanti beneficii immemores viderentur, prefato Hugoni, ad vitam suam, L libras annui redditus de camera sua dederunt, et easdem L libras ad duos terminos, videlicet, in octava beati Remigii XXV libras, et in octava Pasche XXV libras..; dederunt etiam memorato Hugoni XLV libras numerate pecunie. Sciendum insuper quod supra nominatus Hugo dedit in perpetuam elemosinam terciam partem sue hereditatis, et ipsi concesserunt eidem quod anniversarium facerent ipsius, si tamen tertiam partem ad eos venire contingat. Si vero frater ejus Stephanus, qui tempore concessionis memorate Hugoni facte absens erat, huic facto nollet prebere consensum, ad solutionem predictarum L librarum dictum capitulum in nullo penitus teneretur, tercia parte hereditatis sue, ut dictum est, eis nichilominus remanente. Quod si contigerit dictam terciam partem prefato capitulo in elemosinam datam, ab heredibus aliquo casu evinci, eadem tercia pars pro XLV libris, quas ab ipso dictus Hugo recepit, eidem capitulo obligata remanet in pignus. Ne igitur factum istud aliqua possit oblivione deleri, presentes litteras, ad petitionem partium, scribi et sigillorum nostrorum fecimus roborari. Actum anno gratie M° CC° XX°,

mense julio. — *Cartul.* fol. 74 r°. — *Origin. scellé* sur doubles queues des sceaux de Philippe, abbé de Saint-Loup, et de l'officialité de Troyes, liasse G-3583.

153. — Juillet 1220. — « Herveus, Dei gratia episcopus, et capitulum Trecense » notifient un compromis au sujet de plusieurs différends qui existent entre eux et le chapitre de Saint-Etienne (Voir n. 154). « Statuta est pena LX librarum, quam pars illa, que ab ordinatione (compromissionis) resiliret, parti alteri solvere teneretur.. Actum anno Domini M° CC° XX°, mense julio. » — *Cartul.* fol. 63 r°. — *Origin.* liasse G-3349.

154. — 3 décembre 1220.

Bartholomeus, decanus, et universum capitulum Beati Stephani Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis Auctore. Universitatem vestram scire volumus, quod, cum nos compromissionem fecerimus in venerabiles viros Henricum, cantorem majoris ecclesie Trecensis, et Artaudum, thesaurarium ecclesie nostre, super querelis, que inter nos ex una parte, et venerabilem patrem nostrum Herveum, episcopum, et capitulum Trecense ex altera, vertebantur : nos arbitrium ab ipsis cantore et thesaurario super eisdem querelis prolatum, ratum habemus et gratum, sicut super certis articulis continetur expressum annotatis inferius in hec verba. Nos Henricus, cantor majoris ecclesie, et Artaudus, thesaurarius Beati Stephani Trecensis, a venerabili patre Herveo, Dei gratia

Trecensi episcopo, et a decano et capitulo Beati Stephani Trecensis electi arbitri super querelis, que inter ipsos ad invicem vertebantur: videlicet, super prepulsatione campanarum in Vigilia Pasche; super processionibus in Rogationibus; vel adventu legati Sedis Apostolice; vel intronizatione seu reditu Trecensis episcopi a Romana curia; seu etiam ob aliam causam faciendis. Item super celebratione misse in Inventione beati Stephani; super procuratione quam dictus episcopus petebat a capitulo beati Stephani; super quibusdam ecclesiis, scilicet, de Verreriis, de de Essartis, et de Brecenaio; super pensionibus quibusdam quas prefatum capitulum dicebat se ab antiquo jure in dictis ecclesiis percepisse; et super jurisdictione canonicorum et clericorum chori Beati Stephani. De omnibus predictis querelis ita diffinivimus et ordinavimus arbitrando : videlicet, quod in Vigilia Pasche, nunquam pulsetur in ecclesia Beati Stephani donec in matrice ecclesia fuerit prepulsatum; in diebus Rogationum; seu adventu legati Sedis Apostolice; vel intronisatione Trecensis episcopi, seu reditu ejusdem a Romana curia; seu receptione comitis Campanie, vel uxoris ejusdem; seu regis; seu archiepiscopi Senonensis, processionaliter venient canonici Beati Stephani ad matricem ecclesiam, et processionem majoris ecclesie quocumque diverterit subsequentur; missam vero in inventione Beati Stephani celebrabit decanus ejusdem ecclesie, si sacerdos fuerit et voluerit, quod si noluerit vel sacerdos non fuerit quecumque persona

majoris ecclesie in dignitate constituta missam si placuerit celebrabit, alioquin septimanarius ecclesie Beati Stephani missam cantabit. Quod si episcopus in solempnitate predicta missam celebraverit, habebit procurationem suam, que marcam argenti excedere non poterit, nunquam alias preter predictam marcam argenti aliquid pro procuratione habiturus, nec eamdem nisi celebraverit in solemnitate predicta. Prenominatum siquidem capitulum fructus unius prebende prefato episcopo et successoribus imperpetuum assignabit, quos percipiet episcopus ubicumque fuerit, partitiones quotidianas non habiturus, nisi personaliter horis interfuerit, in quibus fiunt partitiones ; hec autem percipiet tanquam canonicus, capitulum ejusdem ecclesie non intraturus ad tractantum de negotiis ecclesie, nisi a capitulo vocatus. In ecclesiis de Verreriis, et de Essartis prenominatum capitulum jus patronatus habebit. Ecclesiam vero de Brecenaio Trecensis episcopus pleno jure possidebit. De jurisdictione autem canonicorum et clericorum chori Beati Stephani, ita ordinavimus, quod jurisdictio canonicorum et clericorum chori, qui perpetua habent beneficia in predicta ecclesia, sit ecclesie Beati Stephani, in quos Trecensis episcopus omnimodam et solam exercebit jurisdictionem, quam exercet in canonicos cathedralis ecclesie. Jurisdictio autem clericorum non habentium perpetua beneficia in pretaxata ecclesia ad episco- Trecensem pertineat. De pensionibus vero ecclesiarum de Verreriis et de Essartis nostrum erit modi-

ficare. In hujus itaque rei testimonium presentes litteras sigillo nostro fecimus roborari, quibus etiam litteris, ad majorem cautelam, predictorum arbitrorum sigilla sunt apposita. Actum anno gratie M° CC° XX°, feria V^{a} ante festum beati Nicholai. — *Cartul.* fol. 64 r°. — *Origin.* liasse G-3349.

155. — 3 décembre 1220. — « Bartholomeus, decanus, et universum capitulum B. Stephani » s'engagent à obtenir la confirmation du comte de Champagne Thibaut IV relativement à l'acte qui précéde (n. 154). « Actum anno gratie M° CC° XX°, feria V^{a} ante festum beati Nicholai. » — *Cartul.* fol. 61 r°. — *Origin.* liasse G-3349.

156. — 6 décembre 1220. — Ratification du même acte (n. 154) par « Nicholaus, decanus, et universum capitulum B. Petri Trecensis.. mense decembri ipso die sancti Nicholai. » — *Copie* liasse G-3340.

157. — Mai 1221. — « Lettres par lesquelles Guiard, archidiacre, et l'official de Troyes certifient, que Etienne de la Loge, frère de Hugues de la Loge; étant revenu *de partibus transmarinis* donne son consentement à la donation faite par Hugues, son frère, et qu'il rappelle dans les mêmes termes que ci-dessus (n. 152). An 1221, au mois de mai. » — *Cartul.* fol. 75 v°.

158. — 29 janvier 1221 (*v. st.*).

Ego Herveus, Dei gratia Trecensis episcopus, notum facimus omnibus presentes litteras inspecturis, quod, cum controversia esset inter nos et capitulum Trecense super jurisdictione curatorum ecclesiarum,

quas idem capitulum dicit se habere liberas Trecis, et presbyterorum non curatorum in ecclesiis illis deservientium ; et super eo quod dicebamus nos posse molere in molendinis de *Jallard* ad omnes necessitates nostras sine multura ; et super apporto in Trecensi ecclesia quod dicebamus penitus nostrum esse, tandem inter nos compositum est in hunc modum : quod questioni de jurisdictione curatorum ecclesiarum supersedebimus quamdiu sedem Trecensem tenebimus ; prebyteri vero non curati, qui habuerint a nobis licentiam celebrandi in episcopatu Trecensi, si recepti fuerint ad terminum a curatis ecclesiarum illarum ad deserviendum in illis ecclesiis, et contingat dictos presbyteros non curatos excedere, ex parte nostra denunciabitur dicto capitulo quod excessus illos corrigat infra triginta dies, quod si fecerit bene erit ; sin autem, ex tunc nos jurisdictionem in dictos presbyteros non curatos libere exercebimus. De molendo vero in molendinis de *Jaillard* ita compsitum est : quod molemus ibi, sicut solemus, ad omnes necessitates nostras in presentia nostra Trecis faciendas ; in absentia vero nostra molemus ibi in tempore famis ad elemosynas nostras Trecis tantum erogandas, sicut solemus molere residentes. De apporto vero, recognoscit capitulum quod nostrum est. Durabit autem hec compositio quamdiu episcopatum Trecensem tenebimus, ita quod per eamdem compositionem neutri parti fiat prejudicium, nec in possessione nec in proprietate. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nos-

tro fecimus roborari, in festo sancte Savine, virginis, anno gratie M° CC° XX° primo. — *Cartul.* fol. 68 v° 69 r°. — *Vieille copie,* liasse G-2551.

159. — Mars 1221 *(v. st.)*. — « Lettres par lesquelles Henri, chantre de cette église, Guiard, archidiacre de Sézanne, Guiard, archidiacre de Brienne, et Renier de Saint-Quentin, certifient que Odon de *Boiloiges*, chevalier, a vendu à Hervé, évêque de Troyes XL septiers de vin de rente annuelle, mesure de Fontaine-Denis, qu'il avait droit de percevoir sur le tiers de la dîme dudit lieu, appartenant à Herbert, frère dudit Odon, de telle sorte que s'il y avait du surplus c'était pour ledit Herbert, et que s'il y avait moins il devait compléter ladite quantité sur la moitié de la dîme de vin de Saint-Quentin appartenant audit Herbert. L'évêque ou ses ayant-cause enverra son domestique avec celui de Renier de Saint-Quentin quérir, recevoir et garder ladite dîme et paiera sa quote-part de la dépense. Odon se charge de faire avoir le consentement de ceux qui doivent le donner. An 1221, au mois de mars. — *Cartul.* fol. 65 r°.

160. — Avril 1222.

Nos Guido, de Nigella, et Johannes, de Cantumerula, abbates, notum facimus omnibus presentes litteras inspecturis, quod Herbertus, frater Odonis, militis de *Boloiges*, et Gilo, filius ejusdem O., in presentia nostra constituti, laudaverunt venerabili patri Herveo, episcopo Trecensi, XL sextarios vini annui redditus, ad mensuram Fontis *Deneis*, perciepiendos annuatim in tercia parte decime vini ejusdem ville, pertinente ad dictum Herbertum, quos

prefatus Odo vendidit prefato episcopo, sicut in litteris venerabilium virorum Henrici, cantoris; Guiardi Sezennie, Guiardi Brene, archidiaconorum Trecensium ; et Reneri de S. Quintino, super hoc confectis plenius continetur. Prefatus etiam Odo coram nobis se de prefatis XL sextariis devestiens, Guidonem, canonicum Trecensem, de ipsis nomine episcopi investivit. In cujus rei testimonium fecimus presentes litteras sigillis nostri roborari. Anno gratie M° CC° XX° secundo, mense aprili. — *Origin.* liasse G-2833.

161. — 24 mai 1222.

Honorius, episcopus, servus servorum Dei.. Trecensi capitulo.. Cum sicut venerabilis frater noster Trecensis episcopus nobis exposuit consuetudines antiquas, et de suo ac predecessorum suorum assensu hactenus approbatas, teneamini firmiter observare, ac pravas et preter ipsius assensum inductas de novo maxime abolere, auctoritate vobis presentium inhibemus, ne novas consuetudines vel statuta, eodem inconsulto episcopo, unde scandalizari debeat, inducatis, juste latas ab ipso interdicti sententias observantes, non obstante consuetudine contraria vel statuto.. Datum Laterani, IX° kal. junii pontificatus nostri anno quinto. — Bibliot. nation. *Moreau* 1181, p. 411.

162. — Mai 1222. — « Lettres par lesquelles Ansèric, chanoine de cette église, et trésorier de celle de Langres, re-

connaît que ce chapitre lui a assigné pour sa prébende, tant qu'il sera chanoine, la seigneurie de Trouan avec ses dépendances, à charge toutefois d'une rente de 100 sous, payables moitié à Pâques, et moitié à Noël. Il se reconnaît obligé de paraître dans la justice du chapitre pour y répondre sur les plaintes qu'on y formerait contre lui, dans les cas où il lui arriverait de surcharger par des exactions injustes les hommes que le chapitre a en cet endroit. An 1222, au mois de mai. » — *Cartul.* fol. 60 v°.

163. — 1222.

Viris venerabilibus et discretis J., decano Barrensi, et Laticensi archidiacono ecclesie Lingonensis, B., decanus, totumque capitulum Beati Stephani Trecensis, in Domino salutem. Notum vobis fieri volumus quod, vanna Trecensis, super quam magister Herbertus, procurator pauperum Domus Dei Beati Stephani Trecensis, auctoritate Apostolica a capitulo Trecensi coram vobis trahitur in causam, molendinis nostris et usibus necessariis fere totius ville Trecensis deservit, nec est in potestate predicti Herberti, quod illam vannam a statu suo retrorsum immutet. Hoc enim fieret in prejudicium et dampnum nostrum et totius ville. Hoc eciam pro certo sciatis quod, si capitulum Trecense more consueto vellet curare et aggerem multitudinis arenose ab introitu alvei sui removere, villa Trecensis moderacius et predictum capitulum aquam haberet abundancius. — Ier *Cartul. de l'Hôtel-Dieu-le-Comte*, fol. 73.

164. — 1222.

Theobaldus, Campanie et Brie comes palatinus, venerabilibus viris et discretis J., decano Barrensi, et Laticensi, archidiacono Lingonensi, salutem in Domino. Sciatis quod illa vanna Trecensis super quam capitulum Sancti Petri Trecensis trahit in causam coram vobis auctoritate Apostolica magistrum Herbertum, procuratorem pauperum domus Dei Beati Stephani Trecensis, est mea, et in dominio et potestate mea sita, et in justicia mea; neque eciam dicto capitulo Sancti Petri aliquando super dicta vanna justiciam denegavi. Si eciam adjudicata esset capitulo pro aliquo defectu dicti magistri Herberti, non vellem quod michi posset aliquid prejudicium fieri, sed ad eam tanquam ad meam me tenerem. Mando itaque vobis et precor, quatenus in causa illa supersedeatis, et ad meam curiam remittatis causam illam. Ego autem jamdicto capitulo Sancti Petri et omni conquerenti de illa vanna paratus sum plenam justiciam exhibere. Datum Peancii. Traditum me ipso, anno gracie M° CC° XX° II°. — I[er] *Cartul. de l'Hôtel-Dieu-le-Comte*, fol. 73.

165. — 1222.

Viris venerabilibus et discretis J., decano Barrensi, et Laticensi archidiacono, prepositi et burgenses Trecenses in Domino salutem. Notum vobis fa-

cimus, quod immutacio vanne, de qua trahitur in causam coram vobis magister Herbertus a capitulo Trecensi, non est ejus possibilitatis. Quippe vanna illa deservit ville Trecensis ad abluendas carnes, quibus tota villa vescitur, et ad abiciendas immundicias ipsius ville, et, quod majus est, ad prestandum municionem, et securitatem contra ignis incendium, adeo quod, cum anno preterito villa Trecensis in maxima parte combureretur, residuum ville combustum esset, nisi aqua defluens ab illa vanna per medium ville subsidium prestitisset. Preterea vanna illa deservit officinis palacii comitis Trecensis, ita quod valde intolerabiles fierent, nisi vanna illa remedium preberet. Et quid erit de hoc, quod vanna illa longevi temporis pretextu se tuetur? Sicut enim plurimi testantur, plus quam quadraginta annis retroactis Henricus pie recordacionis, comes Trecencis, ad laudem et consensum tocius ville Trecensis illam construxit. Quid ergo super hoc sit agendum oculis vestre devocionis inspiciendum relinquitur. Hoc autem sciatis, quod in prejudicium et dampnum ville vannam illam a statu, in quo longo tempore permansit, et comes et villa nullatenus sustineret immutari. Item sciatis quod, si capitulum Trecense alveum aque sue more consueto vellet curare, haberet aquam in habundanciam. — I[er] *Cartul. de l'Hôtel-Dieu-le-Comte*, fol. 74.

166. — Décembre 1222.

Herveus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod, cum fratres Scolarium Beate Marie in Insula Trecensi, quoddam fundassent oratorium intra fines parrochie Sancti Dionisii, que ad capitulum Trecense noscitur pertinere, et in eodem vellent divina celebrare, capitulo Trecensi necnon et curato dicte ecclesie contradicentibus : tandem ab utraque parte compromissum est in bonos et prudentes viros Henricum cantorem, M. Robertum de Vineto, et Jacobum Senonensem, canonicos Trecenses, qui Deum habentes pre oculis, de prudentum virorum consilio ordinaverunt in hunc modum : Henricus cantor, M. Robertus de Vineto, et Jacobus Senonensis, canonici Trecenses, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Universitati vestre notum facimus, quod, cum fratres Scolarium Beate Marie in Insula Trecensi quoddam fundassent oratorium intra fines parrochie Sancti Dionisii, que ad capitulum Trecense noscitur pertinere, et in eodem vellent divina celebrare, capitulo Trecensi necnon et curato dicte ecclesie contradicentibus, tandem ab utraque parte compromissum est in eos, quod super his ordinationi nostre starent, qui de prudentum consilio ita ordinavimus : quod fratres predicti, de prediis de quibus capitulum Trecense decimam, terragium, censum vel qualem-

cumque consuetudinem percipere consuevit, ubicumque sita sint, intra fines decimationis dicti capituli vel alibi, solvent dicto capitulo decimam, terragium, censum vel qualemcumque consuetudinem, quocumque titulo ad eosdem eadem predia devenerint, nec a prestatione predictorum per se vel per aliquam interpositam personam, privilegium, seu immunitatem aliquam impetrari facient, vel impetrabunt, et etiam si impetrata fuerint eis non utentur contra capitulum pretaxatum. Adjecimus etiam, quod predicti fratres venient processionaliter ad processiones nostras solemnes, et intererunt sepulture canonicorum nostrorum, quos in ecclesia nostra contigerit sepeliri. Et si Trecis vel alibi obierint, tenebuntur sacerdotes, quotquot inter predictos fratres in predicta domo fuerint, pro defunctis celebrare. Ordinavimus insuper, quod idem fratres in perpetuum presbytero Sancti Dyonisii annuatim solvent XXX solidos, videlicet, X solidos in festo sancti Remigii, X solidos in Pascha, X solidos in Nativitate B. Johannis Baptiste, salvo eidem sacerdoti jure parrochiali, videlicet, quod in annualibus festis parrochianos dicte ecclesie ad divina non admittent, benedictiones insuper nuptiales vel perarum, vel reconciliationem puerperarum predicti sacerdotis non facient, extremas etiam unctiones infirmis ejusdem parrochie non impendent, nisi de predicti sacerdotis voluntate. Si autem aliqui parrochianorum predicte ecclesie apud predictos fratres sibi sepulturam eligere voluerint, libere hoc facere poterunt, salvo dicto

sacerdoti jure legatorum, priusquam etiam defuncti corpus ad predictos fratres deferatur, dictus sacerdos in ecclesia sua si voluerit presente funere celebrabit. Missa vero ab eodem in eadem ecclesia percantata, predicti fratres defuncti corpus ad domum suam sine contradictione quacumque deferre poterunt, quibus si quid pro anima defuncti oblatum fuerit vel collatum, nichil inde percipiet sacerdos pretaxatus. Ordinavimus insuper, quod predicti fratres in oratorio suo divina solempniter celebrent, campanas si voluerint et cemeterium proprium habeant. Quod ut ratum habeatur in perpetuum et firmum presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M° CC° XX° secundo, mense decembri. In cujus rei testimonium, ad petitionem partium, presentes litteras sigilli nostri munimine roboravimus. Datum Trecis, anno Domini M° CC° XX° secundo, mense decembri. *Cartul.* fol. 78 r°. — *Copie*, liasse G-1015.

167. — Décembre 1222. — « Lettres par lesquelles le prieur et couvent du Val-des-Ecoliers, et le prieur de Notre-Dame-en-l'Ile, souscrivent la susdite sentence arbitrale (n. 166). An 1222 au mois de décembre. — *Cartul.* fol. 79 r°.

168. — 28 avril 1223. — Thibaut IV, comte de Champagne, confirme l'accord entre les chapitres de Saint-Pierre et de Saint-Étienne rapporté plus haut (n. 154). « Actum anno Domini M° CC° XX° tercio, die veneris proxima post Pascha, mense aprili. » — *Origin.* liasse G-3349. — Le sceau pendait à des fils de soie rose et verte.

169. — Avril 1224. — « Lettres par lesquelles Henri, archidiacre de l'église de Troyes, en reconnaissance de ce que le chapitre lui a assigné la seigneurie de Vannes et ses dépendances pour sa prébende, tant qu'il sera chanoine, à la charge seulement d'en rendre annuellement au chapitre 100 sous à la Toussaint et 100 sous à Pâques; et de rendre les bâtiments qui sont en bon état, comme il les a reçus. Ledit Henri lègue à cette église une somme de 20 livres à prendre sur ses biens meubles; et tout ce qu'il acquerra dans l'étendue de ladite terre. An 1224, au mois d'avril. » — *Cartul.* fol. 60 r°.

170. — 4 février 1225. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei, decano Trecensi et capitulo.. » le pape leur ordonne « non obstante indulgentia quadam concessa ecclesie Trecensi a Sancta Sede, ut Valerianum, clericum Romanum, in canonicum et fratrem recipiant. Datum Laterani, pridie non. febrarii.. anno IX°. » — *Cartul.* fol. 80 r°. — Bibliot. nation. *Moreau* 1183, p. 110.

171. — 21 mai 1225. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei.. episcopo Trecensi » Par ces lettres le pape, sur les représentations à lui faites par l'évêque de Troyes [Robert] que le chapitre avait reçu déjà deux clercs sur deux mandats Apostoliques, et qu'il en avait admis un troisième en faveur d'He., sous-diacre du pape, quoiqu'il n'eût pas le pouvoir, attendu qu'il n'y avait pas de prébende vacante, le pape déclare que dorénavant ce chapitre ne sera plus tenu de recevoir aucun chanoine sur de pareils mandats, à moins qu'il n'y soit fait mention expresse de la présente bulle. « Datum Laterani, XII kal. junii pontificatus nostri anno nono. — *Cartul.* fol. 61 r°.

172. — 2 juillet 1225.

Magister Hugo, officialis Trecensis, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit salutem in Domino. Noverint universi, quod, cum causa verteretur coram nobis inter viros venerabiles M., decanum, et capitulum Trecense ex una parte, et priorem de *Ortelon* ex altera, super decimis quarumdam terrarum, apud Insulas juxta Ramerucum sitarum, infra decimationem ipsorum capituli et decani, ut dicebant : tandem lite super hiis legitime contestata, testibus productis et receptis, eorumque depositionibus publicatis, rationibus et allegationibus partium auditis et plenius intellectis, juris ordine per omnia servato, habito super hiis prudentum virorum consilio, cum nobis constaret, tam per testes quam per rationes, dictos decanum et capitulum suam intentionem sufficienter probasse, decimas dictarum terrarum per sententiam diffinitivam adjudicavimus decano et capitulo memoratis, reservata eisdem questione expensarum factarum occasione litis supradicte. Actum anno gratie M° CC° XX° V° die mercurii post festum BB. apostolorum Petri et Pauli. — *Cartul.* fol. 67 v°. — *Origin.* liasse G-2889.

173. — Août 1225.

Ego Theobaldus, Campanie et Brie comes palatinus, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit

notum facio, quod, cum discordia verteretur inter me ex una parte, et venerabiles viros Milonem, decanum, capitulumque Trecensem ex altera, super eo quod dicebam Guidonem de Subtus Muro et Elysabeth, uxorem ejus, esse homines meos, et ipsi M., decanus, capitulumque Trecense dicerent esse suos, et dicti Guido et Elysabeth, uxor ejus, pendente hujusmodi discordia, Senonis fugissent : tandem, de assensu et voluntate mea, et dictorum M., decani, capitulique Trecensis dicta discordia fuit pacificata in hunc modum : quod ego quitavi predictis M., decano, capituloque Trecensi quicquid juris habebam vel habere poteram tam in ipso Guidone quam in Elysabeth supradicta, ita quod dicti Guido, et Elysabeth, uxor ejus, ab omni exercitu et expeditione, justitia, tallia et exactione liberi erunt et immunes quoad me et meos successores, meosque ballivos ac meorum successorum, quamdiu vixerint idem Guido et Elysabeth, uxor ejus; sed liberorum, qui ab ipsis Guidone et dicta Elysabeth exierunt vel exibunt, una medietas erit mea, et altera medietas predicti capituli Trecensis, ita quod dicti liberi eque participabuntur omnes in rebus dictorum Guidonis et Elysabeth, uxoris sue, post decessum eorum. Quod ut firmum ac stabile cunctis temporibus permaneat, presentes litteras sigilli mei munimine feci roborari. Actum anno gratie M° CC° XX° quinto, mense augusto. — *Cartul.* fol. 65 r°. — *Origin. scellé*, liasse G-2621.

174. — Août 1225.

Ego Odo *Ragoz*, conestabularius Burgundie, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod ego pignori obligavi capitulo Trecensi pro C libris pruviniensium fortium quicquid habeo in admodiationibus Capelle Sancti Petri et ville Sancti Saviniani, et quicquid pertinet ad admodiationes illas, que vulgo vierie appellantur. Dedi etiam eidem capitulo et ecclesie Trecensi in elemosinam fructus et proventus qui de admodiationibus illis et rebus ad admodiationes pertinentibus medio tempore levabuntur, quousque gageria sit redempta. Condictum est autem quod quandocumque voluero redimam gageriam istam, dummodo solvam prefato capitulo prefatas C libras. Dedi etiam fidem meam quod dictam gageriam, sicut dictum est, et dictam elemosinam ratam et gratam habebo, et ab omnibus gratam et ratam haberi faciam ab uxore mea, de cujus hereditate est, a domino seu dominis feodi, et ab omnibus quorum desideratur laudatio et consensus. Et si hoc quod promitto non possem adimplere, teneor infra XV dies postquam requisitus fuero a canonicis et capitulo Trecensi per fidem meam tenere prisonam Trecis, et satisfacere eis de omnibus dampnis et dependitis propter hoc. Et faciam capitulum habere super omnibus hiis litteras sigillo officialis Trecensis sigillatas. In cujus rei testimonium feci presentes litteras sigillo meo sigillari

anno Domini M° CC° XXV°, mense augusto. — *Cartul.* fol. 67 r°. — *Origin.* liasse G-2858.

175. — Août 1225. — « Lettres de l'official de Troyes notifiant l'acte précédent (n. 174). » — *Cartul.* fol. 66 v°.

176. — Septembre 1225.

Robertus, Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverint universi, quod, cum inter nos et venerabilem virum H., cantorem Trecensem, super jurisdictione clericorum chori, necnon licentia petenda a volente Trecis de Theologia legere, et etiam super mentilibus et forcipibus puerorum in prima tonsura, dissentio suborta fuisset : tandem de bonorum consilio, taliter inter nos compositio intervenit, videlicet, quod penes cantorem, salva tamen appellatione ad nos facienda, et excepto quod excommunicare vel suspendere non poterit, verumtamen extra chorum ejiciciendi eos, vel alias puniendi in ipso choro, prout consuevit, sibi potestate retenta clericorum chori, justitia remanebit, canonicis Beate Marie, in quibus jus hujusmodi sibi non recognoscimus, duntaxat exceptis. Actum anno Verbi Incarnati M° CC° XX° V°, mense septembri. — Camusat, *Promptuar.* fol. 191 r°.

177. — Octobre 1225.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Odo, abbas, totusque conventus ecclesie Sancte Columbe Senonensis, notum facimus omnibus presentes litteras inspecturis, quod, cum controversia esset inter nos ex una parte, et venerabiles viros decanum et capitulum Trecense ex altera, super eo quod petebant a nobis decimas sibi reddi de terris sitis infra decimationem eorum de Reigniaco et de Bocenaio, quas, post quamdam compositionem inter nos et ipsos olim factam, acquisivimus usque in hodiernum diem, scilicet, de terra defuncte Hermintrudis, sita juxta Petrum Amicum, III jornatas ; a Garino de Ruïssello, juxta Petrum Amicum, II jornatas ; a defuncto Hermando, juxta essarta, III jornatas ; a Godero de *Bocenai,* juxta Petrum Amicum, II jornatas ; a filiis defuncte Helvydis de *Bocenai,* ante portam prioratus, IIII jornatas ; a Rosero de *Reigni* ante dictam portam, II jornatas ; a Guiardo de *Richeborc,* ante portam, III jornatas ; ab eodem Guiardo et fratribus suis, prope prioratum, II jornatas ; apud Spinam Fabri, juxta vineam et ultra viam, III jornatas ; in hasta Sancte Columbe ab Ernaudo, converso, VI jornatas ; item ab eodem Ernaudo et Garino et Radulfo fratribus, juxta vineam, IV jornatas ; item ab Ernaudo, Ymberto Bove de Roseriis et de Wilemeto, aliquantulum prope vineam et ultra viam, VI jornatas ; et a Suzanna et Arnulpho de Ruisello,

et defuncto Wilemeto, prope viam, VI jornatas; ibidem ab Ernaudo, converso, VIII jornatas, ultra aquam; a Garino et Radulpho fratribus, Arnulpho et Guiardo, X jornatas: tandem pro bono pacis nobis decimas predictarum terrarum, quas in predicto finagio possidemus et propriis sumptibus excolimus, quitaverunt, ita tamen quod preter IX sextarios bladi, quos eis pridem debemus per aliam compositionem, nos ipsis per istam, annuatim ad festum sancti Remigii solvere tenemur I sextarium frumenti, et I sextarium sigali, et I sextarium avene, ad mensuram illius loci. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillis nostris fecimus roborari. Anno gratie M° CC° XX° quinto, mense octobri. — *Cartul.* fol. 70 r°. — *Origin.* Les sceaux étaient sur double tresse plate en soie rose.

178. — Octobre 1225. — « In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Milo, decanus, totumque capitulum Trecense. » Cette charte est identique (*mutatis mutandis*) à la charte précédente, dont elle est la contre-partie. — Archiv. de l'Yonne, *origin.* F. Sainte-Colombe, liasse 6.

179. — Décembre 1225.

Nos Bartholomeus, decanus S. Stephani, et magister Hugo, officialis Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Hugo de Ramerruco, prepositus domini Erardi, filius bone memorie Alberici, quondam prepositi de Ramerruco, in presentia nos-

tra constitutus, dedit in perpetuam elemosinam capitulo Beati Petri Trecensis VIII solidos censuales cum duabus gallinis, qui debebantur ei annuatim apud *Montingon*, quorum medietas reddenda est annuatim ad crastinum Natalis Domini, et altera medietas ad festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste. Debet autem idem Hugo facere venire omnes illos qui debent censum illum, et facere creantare quod de cetero reddent dicto capitulo dictis terminis dictum censum et dictas gallinas. Debet etiam facere laudari hanc elemosinam ab omnibus quorum necessarius est consensus, et debitam garanteiam portare capitulo memorato, et de omnibus hiis fideliter observandis dedit prefatus Hugo corparaliter fidem suam, per ipsam promittens quod omnes contradictores et rebelles pro posse compescet. Actum anno Domni M° CC° XX° quinto, mense decembri. — *Cartul.* fol. 57 r°. — *Origin.* liasse G-3077.

180. — 1225. — « Lettres par lesquelles Hugues, official de Troyes, certifie que Pierre, appelé communément Lempereur, et Jaquée, sa femme, ont vendu à ce chapitre un arpent et demi de pré à Sancey ; plus une pièce de courtil sise à la Vouise (apud Gaisiam) ; item 4 sous de droit cens sur trois maisons sises à Croncés (apud *Cronciaux*) devant l'église Saint-Gilles ; item 6 sous de droit cens sur leur grange de Croncés, leur pressoir et tout le pourpris qui en dépend ; item 10 bichets d'avoine de rente, assis sur plusieurs pièces de terre aux Noes, pour quoi le chapitre a payé auxdits vendeurs vingt livres de monnaie de Provins. An 1225. — *Cartul.* fol. 76 r°.

181. — Janvier 1225 (*v. st.*).

Magister Hugo, officialis Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Gilebertus Poncius in presentia mea constitutus vendidit decano et capitulo Trecensi V solidos census, quos homines inferius exprimendi debebant et de rebus inferius exprimendis, annuatim ad festum sancti Remigii : *Bovez* de Pouteria IX denarios et obolum census de prato suo de *Chailloel; Constanz* de Posterna IX denarios et obolum census de prato suo de *Chailloel;* Herbertus *li Vachiers* XVII denarios census de prato suo et terra sua de *Chailloel;* Johannes de Pampilona XII denarios census de terra sua de *Chailloel;* Tierricus *Saugete* VI denarios census de vinea sua de *Chailloel; Felisez li cordiers* III denarios census de dimidio arpento vinee sue apud *Webaudes*; Girardus Burgundus III denarios census de dimidio arpento vinee sue, site apud *Webaudes*. Recognovit autem prefatus Gilebertus quod precium venditionis receperat de omnibus hiis, scilicet, LX solidos pruviniensium. Idem et Gilebertus de predicis V solidis census se devestivit in manu mea, et ego, ad petitionem ipsius, investivi Gilonem, camerarium Trecensis ecclesie nomine predictorum decani et capituli. Preterea, dedit idem Gilebertus fidem suam quod hanc venditionem bona fide observabit, observari faciet, debitam garanteiam portabit et ab omni-

bus laudari faciet quorum desideratur laudatio vel consensus. Columbus etiam et Stephanus, filii dicti Gileberti, laudaverunt hanc donationem. Porro Huetus, magister fabrorum, filius defuncti Evrardi, et Marcus, filius domini Renaudi de *Vaigni*, obligaverunt se plegios super predictis omnibus observandis. Actum anno Domini M° CC° XX° quinto, mense januario. — *Cartul.* fol. 66 r°. — *Origin.* liasse G-2730.

182. — Janvier 1225 *(v. st.)*. — « M., decanus, et Hugo, officialis Trecensis » notifient que « Garnerus, judeus, carnifex, vendidit Giloni de Pruvino, provisori operis ecclesie Trecensis, duas plateas domorum suarum de Macecreria in Burgo Episcopi, receptis pro pretio XXXII libris pruviniensium fortium.. Garnerus tenetur plateas a domibus et superedificio liberare infra dominicam primam instantis Quadragesime.. debitam garentiam portare debet de venditione.. se devestivit in manibus nostris de plateis istis, et nos investivimus Gilonem nomine ecclesie, ad opus fabrice Trecensis ecclesie.. Actum anno Domini M° CC° XX° quinto, mense januario. » — *Cartul.* fol. 68 r°. — *Origin. scellé*, liasse G-3463.

183. — 7 janvier 1226. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei.., decano, et capitulo Trecensi. » Le pape leur commande « ut, non obstante indulgentia quadam concessa ecclesie Trecensi a Sancta Sede, Valerianum Clericum Romanum, in canonicum et fratrem recipiatis.. Datum Reati VII id. januarii.. pontificatus anno X°. » — *Cartul.* fol. 80 r°. — *Moreau* 181, p. 295.

184. — Avril 1226.

Milo, decanus, totumque capitulum Trecense, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noveritis nos constituisse in capitulo nostro generali, ut camerarius et partitores nostri foreneitates et alia debita, que nobis et ecclesie nostre a nostris concanonicis debentur, petant diligentius et requirant ; et si forsan aliquis concanonicorum nostrorum, infra quindenam post monitionem sibi factam, dictis camerario et partitoribus de debito non satisfecerit, ex tunc cum ipso non erimus in capitulo, nec in choro, nec distributiones aliquas percipiet, quousque super debito satisfecerit competenter. Actum anno gratie M° CC° XX° sexto, mense aprili. — *Vidimus* de l'an 1371, liasse G-2573.

185. — Mai 1226.

Magister Hugo, officialis Trecensis, omnibus presentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Drocho, frater Hugonis de Logia, in presentia nostra constitutus, quitavit omnino capitulo Trecensi VI denarios census, qui debentur de domo que fuit Quadrati, cordubanarii, que sita est retro ecclesiam Beati Johannis in Foro Trecensi. Datum anno Domini M° CC° XX° sexto, mense maio. — *Cartul.* fol. 81 v°. — *Origin.* liasse G-3542.

186. — Mai 1226. — « Hugo, officialis Trecensis » notifie que « Petrus *Seignez* de *Laval*, matricularius Sancti Stephani Trecensis, et Rosa, uxor ejus » ont vendu au chapitre de Troyes « totum terragium et quicquid juris habebant per se in campo quodam prope Capellam Galonis, qui dicitur campus *Bauderel*.. Actum anno gratie M° CC° XX° sexto, mense maio. » — *Origin.* liasse G-2858.

187. — Décembre 1227.

Ego Johannes, dominus Valeriaci, notum facio omnibus presentibus et futuris, quod ego, laude et voluntate Agnetis, uxoris mee, et filii mei Erardi, vendidi capitulo Trecensi pro quadringintis et vinginti libris pruviniensium fortium, quas ab eisdem recepi, totam decimam meam de Villa *Meruel*, videlicet, duas partes in plano et três partes in bosco, sextadecima parte minus illius decime, que est in bosco; et tractum et dominium tocius decime supradicte; et totum jus decime et terragii, que ad me pertinent vel pertinere poterunt in bosco de *Bateilli*; et duodecim solidos censuales, quos habebam apud Villa *Meruel*, promittens capitulo supradicto, quod si filii domini Salonis de *Corjusenes* aliquid obtinuerint aut ceperint, ultra quam usque modo perceperunt de eo quod ego hucusque tenui in decima supradicta, ego illud dicto capitulo in denariis vel in redditibus equivalentibus restaurabo. Et si quis dictam decimam reclamaverit tanquam de feodo vel alio quoquo modo, et propter hoc capitulum damp-

nificaverit seu vexaverit quoquo modo, ego eis omnia dampna restituam et expensas, et faciam eos dictam decimam et censum supradictum pacifice possidere ; obligans etiam me ipsum supponendum excommunicationi et terram meam interdicto per venerabiles patres dominum archiepiscopum Senonensem et dominum episcopum Trecensem, si non facerem quod promisi. In cujus rei testimonium presentem cartulam volui sigilli mei munimine roborari. Actum anno gratie M° CC° XX° septimo, mense decembri. — *Cartul.* fol. 34 v°. — *Origin.*

188. — 5 février 1228. — « Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesie S. Stephani Trecensis. » Le pape approuve l'accord entre les chapitres de Saint-Pierre et de Saint-Etienne rapporté plus haut (n. 154). « Datum apud Urbem Veterem nonas februarii pontificatus nostri anno primo. » — *Copie* liasse G-3349.

189. — Avril 1228.

Ego Erardus de Brena, dominus Remeruci, et ego Philippa, uxor ejus, notum facimus presentibus et futuris nos vendidisse pro centum libris pruviniensium et quitasse imperpetuum venerabilibus viris decano et capitulo Trecensi quicquid habebamus in exequcione justitie in hominibus S. Petri apud *Troant*, in vico qui dicitur S. Petri, necnon et omnes homines cum familiis suis quos in eodem vico habebamus, que omnia tenebamus in feodum a domino Th., comite Campanie, cum omni jure quod in su-

pradictis hominibus habebamus vel habere poteramus, dicto capitulo vendidimus et quitavimus, dicto precio mediante, cum LX sextariis avene, ad mensuram Remeruci, quod de capite mei Erardi et hereditate mea movebant, et que homines S. Petri de *Troant* nobis in granario nostro apud Remerucum annuatim reddere tenebantur, sicut patet per litteras mei Erardi, olim super hoc confectas et dicto capitulo traditas. In cujus rei testimonium presentes litteras dicto capitulo tradidimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum anno gratie M° CC° XX° octavo, mense aprili. — *Cartul.* fol. 60 v°. — *Origin.* liasse G-3342.

190. — Avril 1228.

Ego Theobaldus, Campanie et Brie comes palatinus, notum facio presentibus et futuris, quod Erardus de Brena, dominus Rameruci, fidelis meus, in presentia mea constitutus, recognovit se vendidisse pro C libris pruviniensium et quitasse imperpetuum decano et capitulo Trecensi quicquid habebat in executione justitie in hominibus S. Petri apud *Troant*.. (*ut supra*). Quam venditionem et quitacionem, ad instantiam prefati Erardi, laudavi, et presens scriptum appensione sigilli mei roboravi. Actum anno Domini M° CC° XX° octavo, mense aprili. — *Cartul.* fol. 60 v°. — *Origin.* liasse G-3342.

191. — 1231.

Ego Odo dictus *Ragot*, dominus de *Frollois*, constabularius Burgundie, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod ego de laude non coacta et voluntate Aalidis, uxoris mee, vendidi et quitavi imperpetuum decano et capitulo Trecensibus quicquid juris habebam vel habere poteram, ex parte uxoris mee predicte, ego vel heredes mei et sui, vel expectabam habere ratione escasure, ex parte uxoris mee, in admodiationibus de Sancto Saviniano et de Capella Sancti Petri, cum omni jure et causa et commodo pertinente ad admodiationes predictas. Et ego et uxor mea Aalidis plenarie et publice confitemur nos recepisse a decano et capitulo supradictis CC libras pruviniensium de venditione predicta. Venditionem autem istam ego, quam uxor mea, per fidem datam ab utroque nostrum promisimus quod eam firmiter observabimus et faciemus firmiter in posterum observari, neque per nos aut per quemcumque sustinebimus quod contra venditionem istam aliquo tempore veniamus vel veniri faciamus. Actum anno gratie M° CC° XXX° primo. — *Cartul.* fol. 66 r°. — *Origin.* liasse G-2858.

192. — Janvier 1231 (*v. st.*). — « P., officialis Trecensis » notifie que « nobilis mulier *Aaliz*, uxor nobilis viri Odonis, domini de *Frollois* et de Sancto Sepulcro » reconnaît que son mari a donné au chapitre de la cathédrale « Isabellim feminam ejusdem mariti sui, uxorem Petri de Fue-

giis, filiam majorisse de Sancto Benedicto. – *Origin.* liasse G-2621.

193. — 1232. — « Clarembaudus, dominus de Cappis.. tanquam dominus feodi, laudo venditionem admodiationum quas apud Capellam Sancti Petri et Sanctum Savinianum habebant Odo *Ragoz* et *Aaliz*, uxor ejus, quas vendiderunt et quitaverunt in perpetuum decano et capitulo Trecensibus.. laudavi et quitavi quicquid juris sive jure feodi, sive ex alia quacumque causa, ego vel heredes mei habere poteramus in eisdem (admodiationibus).. Actum anno gratie M° CC° XXX° secundo. » — *Origin.* liasse G-2858.

194. — Mars 1232 (*v. st.*). — « Theobaldus, Campanie et Brie comes palatinus » fait cette déclaration « ego de assensu et voluntate communie mee de Trecis donavi capitulo Trecensi Isabellem, filiam Margerie, que erat femina mea » le chapitre lui donne en échange « Helluydem, filiam Galteri de *Orviler*, ita quod erit de communia predicta. Actum anno Domini M° CC° XX° secundo, mense martio. » — *Origin.* liasse G-2621. Le sceau était sur double queue en parchemin.

195. — 21 juin 1233. — « Henricus, cantor Trecensis, et magister Stephanus de Pruvino, canonicus Remensis » notifient un différend entre « Theobaldum, Campanie et Brie comitem palatinum, ex una parte, et Milonem, decanum, et capitulum Trecense ex altera.. super intragio vinorum in civitatem Trecensem.. » Accord : « Capitulum et canonici Beati Petri Trecensis, et beneficiati in eadem ecclesia, et tres curati, sicilicet, S. Remigii, S. Nicetii, et S. Dyonisii, vina deputata ad particiones cotidianas in dicta ecclesia, et vina propria singulorum libere, sine merello, sine pedagio et sine aliqua contradictione, jure clericali, secundum quod decet honestatem clericalem, introducent in civitatem Trecensem.. Actum

anno gratie M° CC° XXX° tercio, mense junio, tercia die ante Nativitatem B. Johannis Baptiste. — *Origin.* liasse G-2615.

196. — Janvier 1234 (*v. st.*). — N[icholaus], miseratione divina Trecensis ecclesie minister humilis » notifie que « Adam de Riparia, domicellus, consanguineus magistri Petri de Claellis, canonici Trecensis, recognovit coram nobis, quod, cum Houduinus de *Chevileles*, et Fileta, sororia dicti H., homines sui essent de corpore per excambium terre quod fecerat cum dicto P., tandem vendidit eos idem A. dicto P. pro XX libris, sibi integre persolutis, et quicquid juris feodalis, et aliud jus quodcumque habebat et habere poterat in hominibus predictis. Et terram, quam idem A. tenet apud *Suiliaus*, tenebit idem A. in feodum a comite Campanie, ut melius garantire possit P. homines predictos.. Datum anno Domini M° CC° XXX° quarto, mense januario. — *Origin. scellé*, liasse G-2621.

197. — Mars 1234 (*v. st.*).

N[icholaus], miseratione divina Trecensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino. Cum dilectissimi M., decanus, et capitulum Trecense, pridem acquisierant decimas in quibusdam terris et essartis, quas nobilis vir J. de *Valeri*, miles, et antecessores sui in parrochia de Moceio, et ibidem circa, de facto antea habuerunt, et dictum capitulum in possessione fuerit aliquandiu predictorum; attendentes quod terre pertinentes ad granchiam Girardi *Lomeleron*, majoris Trecensis, sint noviter essarte et ad agriculturam redacte, et quod dictum capitulum per prefatam acquisitionem in decimis terrarum illius gran-

chie se asserunt jus habere : nos, ex officio nostro, de decimis novalium dicte granchie ita duximus ordinandum, videlicet, quod dictum capitulum decimas dictorum novalium ipsius granchie de cetero percipiat, et easdem decimas, quantum ad officium nostrum pertinet, eidem capitulo confirmamus. Datum anno M° CC° XXX° quarto, mense marcio. — *Origin.* liasse G-3092.

198. — 28 janvier 1237 *(v. st.)*. — « R., decanus ; H., cantor ; et magister Theobaldus, canonici Trecenses, arbitri a capitulo Trecensi et canonicis altaris B. Marie electi » donnent le *vidimus* de la charte n. 36 « collatione facta de hoc transcripto ad autenticum.. Datum anno Domini M° CC° XXX° septimo, die mercurii ante Purificationem B. Virginis. » — *Origin.* liasse G-2573.

199. — Juillet 1239.

Ego Garnerius de Triangulo, dominus Marigniaci, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod ego vendidi viris venerabilibus.. decano, et capitulo Trecensi, quicquid juris habebam et habere poteram in molendino de Curva Ripa in blado et denariis et omnibus aliis modis et commodis pro LXXX libris pruviniensium de quibus teneo me pro pagato, ita quod nichil juris michi neque meis retinui in molendino predicto, quod movet de censiva capituli memorati. Quociens vicem contigerit rupturam fieri stagni, quod est prope molendinum, occasione generalis venditionis piscium dicti stagni, rup-

tura facta occasione hujusmodi ultra sex ebdomadas non durabit; et si plus duraverit, teneor reddere dicte ecclesie multuram pro parte mea pro rata temporis quo durabit, et quantocius fieri poterit reedificatio rupture dicti stagni in continenti teneor pro rata mea ponere in eadem. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M° C° XXX° nono, mense julio.
Origin. liasse G-3293.

200. — Juillet 1239.

Nicholaus, miseratione divina Trecensis ecclesie minister humilis, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum ecclesia de Valantiniaco cum capella de Hampiniaco, que ad eamdem ecclesiam pertinet, ad cantoriam Trecensem pleno jure pertineret, nec proprium haberet curatum, nos saluti animarum parrochianorum ejusdem ecclesie et capelle predicte providere volentes, de unanimi assensu decani et capituli Trecensis et voluntate Henrici, cantoris ejusdem ecclesie, auctoritate statuti generalis concilii Lateranensis, de prefata ecclesia cum sua capella ordinavimus in hunc modum : cantor, qui pro tempore fuerit in ecclesia Trecensi, ad curam dicte ecclesie nobis et successoribus nostris personam ydoneam presentabit, quam nos et successores nostri recipere tenebimur sine aliqua difficultate; persona vero a nobis vel successoribus nostris in eadem ecclesia sic instituta infra octo dies

venire tenebitur ad cantorem, ad prestandum eidem cantori juramentum fidelitatis de reddenda annua pensione XVI librarum pruviniensium, quam in ecclesia de Valantiniaco cum sua capella de Hampiniaco reddendam singulis annis Trecis imperpetuum cantoribus Trecensibus assignavimus, terminis subscriptis, videlicet, C solidos in festo S. Remigii, C solidos in Nativitate Domini, et VI libris in Pascha. Statuimus insuper et auctoritate episcopali ordinavimus, quod capella de Hampiniaco, que ad ecclesiam de Valantiniaco, ut diximus, ab antiquis temporibus pertinuit et adhuc pertinet, nullo modo possit ab ecclesia de Valantiniaco separari sine speciali et expresso consensu cantoris Trecensis, nec tunc, nisi salva pensione, quam cantori Trecensi in eadem ecclesia assignavimus imperpetuum percipiendam terminis supradictis. Sciendum preterea, quod nos cantorie Trecensis assignavimus imperpetuum pensiones, que ad mensam episcopalem a longe retroactis temporibus pertinuerunt, et mense episcopali sine aliqua contradictione persolute fuerunt, videlicet, LX solidos in ecclesia de Escarda : XX solidos in festo Omnium Sanctorum, XX solidos in Nativitate Domini, et XX solidos in Pascha; item in ecclesia de Junquereio VI libras : XXX solidos in festo beati Petri ad Vincula, XXX solidos in festo Omnium Sanctorum, XXX solidos in Nativitate Domini, et XXX solidos in Pascha ; item in ecclesia de Boilliaco XL solidos, videlicet : in festo S. Laurentii X solidos, in festo Omnium

Sanctorum X solidos, in Pascha X solidos, et in Penthecoste X solidos. Supradictas autem pensiones curati predictarum ecclesiarum terminis supradictis cantori Trecensi vel ejus mandato solvere tenebuntur per juramentum suum. Statuimus insuper, quod de Escarda et de Junquereio et de Boilliaco curati infra quindecim dies, a die qua a nobis vel successoribus nostris de cura ecclesiarum suarum investiti fuerint, ad cantorem veniant, nisi legitimo sint impedimento detenti, eique juramentum prestent de reddendis pensionibus memoratis terminis prescriptis ; quas si non redderent terminis predictis, ex tunc tanquam rei perjurii ecclesiis suis scirent se privatos ; et quod ecclesia de Valantiniaco cum capella sua ad eumdem cantorem pleno jure pertinebat, ordinavimus et statuimus quod eadem ecclesia de Valantiniaco cum capella sua de Hampiniaco nobis tantum et successoribus nostris et cantoribus Trecensibus sit subjecta, ita quod nec archidiaconus nec decanus ejusdem loci aliquam in ea habeant jurisdictionem vel procurationem. Actum anno Domini M° CC° XXX° nono, mense julio. — *Origin.*

201. — Février 1239 (*v. st.*).

Omnibus presentes litteras inspecturis frater G., Sigilleriarum dictus abbas, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Universitati vestre innotescat, quod nos VI sextarios bladi, tres videlicet sigali et totidem molture annui redditus, quos

singulis annis percipiebamus in molendino de Curva Ripa, capitulo Trecensi ad perpetuam hereditatem vendidimus ; pro qua venditioue XV libras pruviniensium fortium recepimus ab eodem capitulo. In cujus rei testimonium et munimen presentes litteras sigillo nostro duximus roborandas. Actum anno Domini M° CC° XXX° nono, mense februarii.— *Origin.* liasse G-3293.

202. — 22 décembre 1242.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri.. episcopo, et dilectis filiis capitulo Trecensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur Apostolico convenit presidio communiri. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod orta olim inter bone memorie H., episcopum, et capitulum Trecense ex parte una, et.. decanum, et capitulum Sancti Stephani Trecensis ex altera, super quibusdam annuis pensionibus, processiobibus Rogationum tempore faciendis, ac rebus aliis materia questionis : tandem, mediantibus bonis viris, amicabilis inter partes compositio intervenit, quam petiistis Apostolico munimine roborari. Nos igitur vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata

est, auatoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo (*ut supra* n. 37). Datum Laterani XI kal. januarii pontificatus nostri anno primo. — *Origin.* liasse G-23.

203. — Janvier 1242 (*v. st.*).

Omnibus presentes litteras inspecturis N[icholaus], divina miseratione Trecensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino. Noverint universi, quod, cum parrochialis ecclesia de Barbona vacaret, que adeo populosa erat et diffusa quod per unum presbiterum curatum non poterat commode deserviri, propter quod periculum animarum de die in diem imminebat : nos volentes imminenti periculo obviare, et animarum saluti, prout tenemur ex officio nostro, providere ; attendentes etiam quod super hiis non poterat apponi salubre consilium, nisi fieret divisio ecclesie memorate, que adeo pinguis erat et in tantum redditibus habundabat quod ex eis poterat duobus presbyteris commode provideri, fratrem Durandum, priorem de Choisello cum nuntiis capituli Trecensis, ad quod collatio dicte parrochie dinoscitur pertinere, destinavimus apud Faiellum Magnum et Parvum Faiellum, ad inquirendum valorem reddituum, quos presbiter haberet annuatim et posset ex dictis duabus villis percipere, si de novo institueretur curatus presbiter in eisdem. Qui frater Durandus, inquisita de dictis redditibus veritate, nobis per suas litteras intimavit, quod presbiter qui

institueretur ibidem bene haberet XX libras annui redditus, secundum estimationem factam reddituum predictorum et proventuum, qui eidem ex parrochianis suis provenirent. Unde nos, de bonorum virorum consilio, dictam ecclesiam de Barbona, consencientibus venerabilibus viris et dilectis in Xpisto filiis.. decano, et capitulo Trecensibus, ad quos jus patronatus dicte ecclesie pertinebat, in duas divisimus in hunc modum : quod apud Faiellum Magnum ex nunc erit curatus presbiter, cui sub erunt parrochiani de Faiello Parvo et ei obedient tanquam proprio sacerdoti ; et tam illi de Parvo Faiello quam illi de Magno Faiello eidem presbitero integre reddent et persolvent jura sua parrochialia et alios redditus, quos annuatim presbitero de Barbona ratione presbiteratus solvere tenebantur, cum hiis que in augmentatione reddituum, ut proprium haberent presbiterum, concesserunt, videlicet, IV sextariis vini qui annuatim ad opus ecclesie debebantur ; tercia parte unius quarterii vinee ad fabricam ecclesie deputate ; uno quarterio vinee quod Radulfus de Chemino promisit se daturum ; et dimidio quarterio vinee quod Hermerus de Monasterio promisit se daturum in augmentatione facienda ; et VI denariis annui redditus quos Adelina uxor *Quoquanlorge* promisit se daturam ; item mulieres de Faiello Magno, que in festis annalibus solummodo obolum offerebant, de cetero offerent in quolibet festo annali unum denarium ; item pro fornera panis, que non valebat nisi panem et dimidium in furno bannali de

Faiello Magno, de cetero duo panes integri persolventur. Que omnia promiserunt parrochiani de Faiello Magno se facturos, prout dictus prior nobis per suas litteras intimavit. Apud Barbonam vero erit alius presbiter curatus, qui totum residuum reddituum integre percipiet et habebit. Nos autem volumus et concedimus, quod dicti decanus et capitulum Trecense dictas duas ecclesias habeant et possideant in eadem libertate in qua dictam ecclesiam de Barbona possidebant ante divisionem predictam. In cujus rei memoriam presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Domini M° CC° XL° secundo, mense januarii. — *Origin.* liasse G-2709.

204. — Juin 1244.

Omnibus presentes litteras inspecturis R., decanus, capitulumque Trecense, salutem in Domino. Noverint universi, quod, cum venerabilis in Xpisto pater Nicholaus, Dei gratia Trecensis episcopus, quamdam costumam, que vulgariter dicitur manus mortua, quam ab hominibus episcopatus recipere consueverat, hominibus et feminis suis de civitate Trecensi et de majoriis suis de Ponte Sancte Marie, de Poilliaco, de *Torviller*, et de Lanis, pro utilitate episcopatus in perpetuum vendiderit : nos dictam venditionem ratam habuimus et habemus, et eam tanquam ad nos pertinet approbamus. In cujus rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Domini M° CC° XL° quarto. — *Origin.* liasse G-2621.

205. — 23 février 1245.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. decano, et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestre precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut cum generale terre fuerit interdictum, clausis januis, interdictis et excommunicatis exclusis, summissa voce, non pulsatis companis, divina possitis officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel (*ut supra* n. 27). Datum Lugduni, VII kal. martii pontificatus nostri anno secundo. — *Origin.* liasse G-2573. Le sceau pendait à des fils de soie rouge et jaune.

206. — 1246.

Omnibus presentes litteras inspecturis Nicolaus, Trecensis ecclesie minister humilis, salutem. Noverint universi, quod, cum discordia esset inter dilectum Girardum, quondam cantorem, et Girardum, quondam succentorem Trecensem, super collatione scholarum Trecensium : tandem nobis et aliis viris mediantibus, compositum fuit inter ipsos in hunc modum, quod dictus succentor sua propria voluntate, quicquid juris habebat in collatione earumdem scholarum, exceptis scholis cantus et scriba-

13

rum, quittavit dicto cantori et successoribus suis in futurum; dictus vero cantor, quia succentoria tenues habebat redditus, dicto succentori dedit imperpetuum et concessit LX solidos, quos annuatim in ecclesia de Escardia percipere consuevit, ab ipso succentore et successoribus suis percipiendos imperpetuum, et habendos singulis annis, et terminis subscriptis, videlicet, XX solidos in festo Omnium Sanctorum, XX solidos in Nativitate Domini, et XX solidos in Pascha. Supradictam vero pensionem LX solidorum curatus ecclesie de Escardia supradictis terminis dicto succentori Trecensi, vel ejus mandato, solvere tenebitur per juramentum suum. Statuimus insuper, quod curatus de Escardia infra quindecim dies a die qua a nobis vel successoribus nostris de cura ecclesie sue investitus fuerit ad succentorem veniat, nisi legitimo sit impedimento detentus, eique juramentum prestet de reddenda pensione predicta. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum anno Domini M° CC° XL° sexto. — *Origin.* liasse G-2810. — Nicolas, évêque de Troyes, confirme cette même charte en 1268, juin. — *Origin.* Ibid.

207. — 4 mai 1247. — « Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus ..Bituricensis, ..Remensis ..Rothomagensis, archiepiscopis, et eorum suffraganeis.. Ex parte vestra fuit.. » Le pape promulgue une décision rendue le 21 avril 1247 par P., évêque d'Albano, pour interpréter la constitution du concile de Lyon qui prescrit la levée d'un impôt sur le clergé pour venir en aide à l'empire

latin de Constantinople. « Datum Lugduni, IIII non. maii pontificatus nostri anno quarto. » — *Origin.* liasse G-2614.

208. — 1er octobre 1249.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ..decano, et capitulo ecclesie Trecensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestre meretur honestas, ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus : hinc est, quod nos, vestre devotionis supplicationibus inclinati, ut nullus infra metas ecclesiarum parrochialium, in quibus jus patronatus habetis, absque vestro et rectorum ecclesiarum ipsarum licentia et assensu, oratoria, capellas, ecclesias, seu monasteria de novo edificari valeat, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis (*ut supra* n. 37). Datum Lugdunum, kal. octobris pontificatus nostri anno septimo. — *Origin.* liasse G-2577. La bulle était sur fils de soie rouge et jaune.

209. — 3 juillet 1252. — « Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis ..decano, et capitulo Trecensi. » Le pape renouvelle l'indult qu'il avait accordé au chapitre le 23 février 1245 (Cfr. n. 205). « Datum Perusii V non. julii pontificatus nostri anno decimo. — *Origin.* liasse G-2573.

210. — 2 mars 1256. — « Alexander, episcopus, servus servorum Dei, episcopo Trecensi. » Le pape accorde à l'évêque de Troyes la faculté de nommer aux premières prébendes vacantes à la cathédrale « duos clericos idoneos, et in sacris,

dum velint residere, et in ecclesia Trecensi personaliter et continue deservire, non obstante statuto ipsius ecclesie de certo canonicorum numero.. Datum Laterani, VI non. martii pontificatus nostri anno secundo. » — Bibliot. nation. *Moreau* 1204, p. 280.

211. — Janvier 1258 (*v. st.*). — « Magister Erardus, dominus Lisigniarum, canonicus Antissiodorensis, filius et heres bone memorie Guillermi, quondam domini Lisigniarum, et Felicis recordationis Margarete, quondam uxoris ejusdem Guillermi, et magister Theobaldus Fabrarius, canonicus Trecensis, executores testamenti predicte Margarete » notifient que Marguerite a légué à l'église Saint-Pierre pour son anniversaire annuel « XL solidos forenses annui et perpetui redditus.. » ces 40 sous seront pris tous les ans « apud Villam Bertini, in redditibus dicte ville.. Datum anno Domini M° CC° L° octavo, mense januario. » — *Origin.* — *Vidimus* de cet acte par « Renier de La Bele, bailliz de Troies, de Miaux et de Provins.. L'an de grace 1289 le mardi après la feste de la Magdeleine. » — *Origin.*

212. — 31 janvier 1252.

Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ..episcopo, et dilectis filiis ..decano, et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Nobis in eminenti Sedis Apostolice specula divina providentia constitutis, dum circumspicimus undique circa statum ecclesiarum omnium, quarum curam gerimus generalem, juxta officii nostri debitum sollicite vigilantes, inter alias, ad quas interdum consideratione descendimus speciali, Trecensis ecclesia, quasi prior et specialior intuenda nostris

occurrit aspectibus, nostrisque ingeritur affectibus pre ceteris diligenda : de cujus quidem honore innati amoris stimulo vehementius excitamur. Hinc est quod nos, paci et quieti vestre paterna volentes sollicitudine providere, ac personas et ecclesiam vestram prerogativa honorare favoris et gratie specialis, auctoritate vobis presentium indulgemus ne quis legatus Apostolice Sedis, vel delegatus aut subdelegatus ab eo conservator, seu etiam executor, prefatam ecclesiam, vel quamvis aliam in civitate Trecensi vel ejus suburbiis constitutam, per litteras Sedis ejusdem vel legatorum ejus, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, ecclesiastico supponere valeat interdicto. Nos enim ex tunc irritum decernimus et inane si quid contra presens indultum cujusquam fuerit temeritate presumptum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis (*ut supra* n. 37). Datum Viterbii, II kal. februarii pontificatus nostri anno primo. — *Origin.* liasse G-2577. La bulle était sur fils de soie rouge et jaune.

213. — 2 janvier 1268 (*v. st.*).

Anno Domini M° CC° LX° octavo statutum fuit et ordinatum in nostro capitulo generali, die mercurii post Circumcisionem Domini continuata a die lune precedenti, cum ecclesia nostra in servitio pati videatur defectum, quod viri venerabiles magister Dionisius, decanus ecclesie nostre, et Joannes, can-

tor dicte ecclesie, et magister Matheus, canonicus noster, servitium ecclesie nostre ordinabunt, prout eis videbitur expedire : ratum et gratum plenius habituri quicquid factum fuerit per eosdem super dicto servitio, ac etiam ordinatum. In cujus rei testimonium presens statutum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum anno et die predictis. (*Extrait d'un ancien livre de Montier-la-Celle*. Voir *Annales de Troyes de l'an* 484 *à l'an* 1344, p. 59, chez M. Socard, libraire à Troyes.)

214. — Juillet 1281. « Hec est ordinacio de servicio in choro faciendo. » Ce règlement a pour but principal de renouveler et de compléter l'ancien réglement de la pointe *(quod alias statutum fuit)* ; il fixe les amendes infligées aux divers officiers du chœur qui manquent totalement ou en partie à leur office.

1. « Septimanarius » qui manque à quelque point de son office pendant Matines « solvet II denarios pro unoquoque defectu; in horis diei solvet I d.; pro defectu vero Misse solvet IV d.

2. » Item vicarius chorarius.. pro unoquoque defectu in Matutinis, I d.; similiter in Missis, Vesperis et officiis mortuorum.

3. » Item succentor.. pro unoquoque defectu amittet I d.

4. » Item diaconus et subdiaconus.. pro unoquoque defectu unusquisque solvet II d.

5. » Septimanarius diebus dominicis et aliis festis IX lectionum.. pro unoquoque defectu solvet IV d.; pro defectu Aque benedicte et Processione pro unoquoque solvet VI d.; pro defectu Misse, VIII d.

6. » Canonici in Minoribus Ordinibus constituti faciant per se, vel per alios ad hoc ydoneos, officium puerorum de choro,

prout est in dicta ecclesia consuetum, alioquin solvent marrenciam II denariorum diebus privatis, diebus vero IX lectionum solvent IV d.; in festis annalibus et duplicibus solvent VI d. pro unoquoque defectu.

7. » Item dyachonus et subdyachonus.. diebus dominicis et in festis IX lectionum, pro unoquoque defectu in officio suo solvet unusquisque eorum XII d.

8. » Item in festis duplicibus presbiter septimanarius qui marrenciam fecerit in primis et secundis Vesperis, pro unoquoque defectu solvet XII d.; pro marrencia Matutinarum XII d.; pro marrencia Misse V s.; pro marrencia aliarum Horarum, pro unaquaque III d.

9. » Item subdyachoni canonici qui regunt chorum vel ministrant ad altare, si marrenciam fecerint in primis vel secundis Vesperis, in Matutinis et Missa, pro unoquoque defectu solvet quilibet XII d.

10. » Item dyaconus et subdiaconus.. in Missis festorum duplicium, pro unoquoque defectu solvet unusquisque II s.; in festis annualibus pro defectu in Processionibus XII d.; pro defectu Epistole IV s.; pro defectu Evangelii V s.; pro defectu Misse VII s. » Suit le règlement de la pointe pour les vicaires, les chapelains et les clercs.

11. « In festis vero annualibus omnes de choro, tam canonici quam alii, rasis de novo coronis et barbis intrent chorum in primis Vesperis, alioquin quilibet canonicorum solvet IV d.; alii inferiores unusquisque I d. »

« Actum in capitulo generali quod fuit anno Domini M° CC° LXXX° primo, mense julio. » — *Vieille copie.*

215. — 5 mai 1283.

In Dei nomine, amen, anno Nativitatis ejusdem M° CC° LXXX° tercio, die mercurii post octabas translacionis S. Nicolai mensis maii, indictionis X, presen-

tis instrumenti serie clareat universis, quod, cum vir venerabilis et discretus magister Dyonisius, decanus ecclesie Trecensis, coram rever. patre domino J., Dei gratia Trecensi episcopo, pro se et capitulo Trecensi, non animo recedendi ab appellationibus suis ad Sedem Apostolicam super provisione magistro Lamberto, officiali, a dicto rever. patre facta, legitime interpositis, proposuisset infra scripta, scilicet, quod ministri dicti domini episcopi, pendentibus legitimis eorum appellationibus ab ipsis decano et capitulo, subtraxerant sine rationabili causa vinum et nebulas que habere debent in bursa dicti episcopi in Cena Domini; item quamdam nonam, quam debet idem episcopus ipsis decano et capitulo die Pasche post prandium, videlicet, pomorum, vini et nebularum; et XL solidos, quos eodem die Pasche recipere et habere de bursa dicti domini episcopi, quotiescumque absens est die Pasche predicta; item C solidos turonensium, in quibus dictus dominus episcopus tenetur eisdem pro archidiaconatu Trecensi sic solvendis, videlicet, ad Nativitatem Domini L solidos, et in Pascha alios L solidos; item et C alios solidos eis debitos, sitos super terra de *Macé*, pro anniversario domini Johannis de Thoreta, de duobus annis preteritis quibus dictus dominus terram tenuerat antedictam; item panem et vinum anniversarii Garnerii, episcopi quondam Trecensis; item panem et vinum anniversarii episcopi Nicolai, et plurima alia que percipere consueverant in bursa episcopi; item a dicto decano X libras sibi debitas

in bursa episcopi die Pasche ; et a quampluribus archidiaconis dicte ecclesie portiones suas emendarum curie, sibi in Quadragesima debitarum ; verum et quamplurima alia, que dicti decanus et capitulum in eadem bursa episcopi certis diebus et terminis percipere consueverant, subtraxerunt. Qui, quanquam essent super hoc pluries requisiti, ipsis decano et capitulo satisfacere minime curaverunt : quare Jacobus de *Baaçon*, canonicus Trecensis, nuntius et procurator decani et capituli predictorum, non animo recedendi a dictis appellationibus ad dictam Sedem, ut dicebat legitime interjectis, sed eisdem potius inherendo in presentia mei notarii et infra scriptorum testium, ea omnia a dicto decano proposita et narrata ratificavit, et significavit domino episcopo, suo et procuratorio nomine dictorum decani ac capituli ac pro ipsis quod super predictis non erat in aliquo satisfactum, licet dominus episcopus ad premissa omnia et singula suo juramento teneatur astrictus. Propter quod dictus procurator humiliter petiit a domino episcopo, ut ipse super premissis satisfaceret vel satisfieri faceret, prout per juramentum suum tenebatur. Ad que omnia magister Matheus de Morguivalle pro dicto domino episcopo et in ejus presentia, ipso non contradicente, respondit quod ipsi decanus et capitulum ea omnia in scriptis redigerent, et redactis, ea domino episcopo presentarent, et ipse dominus episcopus, habito super hiis una cum sociis suis peritis consilio, exinde faceret quod deberet ; verum idem episcopus

dixit quod ipse ministris suis preceperat quod ipsi super dictis exhibendis restitutionibus facerent quod deberent. Actum apud Aquis, Trecensis diocesis, presentibus : domino Aimereto, curato dicte ville ; dominis Guillermo, et Renaudo de Brena, capellanis dicti domini episcopi ; et pluribus aliis ad hec audienda vocatis testibus et rogatis, anno, mense, die et indictione predictis. — Et ego Nicolaus de Fonte, auctoritate sacrosancte Romane ecclesie publicus notarius, ac clericus sacre regalis Sicilie majestatis, quia predictis requisitioni, significationi et responsioni presens fui, ea in formam redegi publicam et signo meo usitato signavi rogatus. N. *avec paraphe.* — *Origin.* liasse G-2551.

216. — 1270, 1273, 1285. — Varia statuta capitularia de forma nominandi seu presentandi per canonicos ad beneficia que a capitulo Trecensi dependent, quorum statutorum summam subjicit Camusat in *Promptuarii Auctario* :

Canonici presbiteri, diaconi et subdiaconi sunt inscribendi in tabula ad beneficia conferenda, secundum eorum ordinem : videlicet, primo presbiteri, secundo diaconi, et ultimo subdiaconi. Septimana canonici incipit a die dominica in ortu solis, et durat usque ad ortum solis alterius dominice proxime sequentis. Canonicus septimanarius tenetur per se, vel per procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, nominare seu presentare in capitulo personam idoneam, infra quidecim dies a tempore quo notitia mortis defuncti devenit ad ca-

pitulum, et si in predictis defecerit, totum jus devolvitur ad capitulum. Nominati seu presentati per septimanarium debent examinari per capitulum, et si non sint sufficientes, septimanarius privatur suo jure pro hac vice, et devolvitur ad capitulum. Septimanarius solum potest nominare seu presentare ad beneficia vacantia per mortem, et si aliter vacaverint, jus et potestas pertinet ad capitulum. — (Fol. 23 v°).

217. — XIIIe-XIVe s. — De quibusdam institutis capitularibus.

I. *Secuntur redditus quos debet decano et capitulo ecclesie Trecensis episcopus Trecensis, et alia onera que debet facere in dicta ecclesia Trecensi.*

Primo, pro festo Assumptionis beate Marie XX solidos, et est de recepta celerarii.

2. Item pro festo Omnium Sanctorum XX solidos, qui distribuuntur canonicis presentibus in dicto festo.

3. Item pro archidiaconatu in Nativitate Domini L solidos. Item eadem de causa in Paschate L solidos et vadunt cellario.

4. Item ab eodem pro festo beate Helene XX solidos.

5. Item ab eodem pro festo beate Mastidie III solidos VI denarios.

6. Item ab eodem super redditibus de Primofacto pro anniversario episcopi Nicolai X libras.

7. Item ab eodem pro decimo foro XX solidos. Istos recusat solvere absque rationabili causa, et per defectum et negligentiam decani et capituli, quare apponent remedium.

8. Item debet in festivitate Natalis Domini facere officium in ecclesia Trecensi ; et dare ad manducandum in vigilia et in festo canonicis, vicariis, et aliis de choro, in dicto festo presentibus, et qui interesse voluerint in dicto prandio. Et si episcopus presens non fuerit, et dictum officium et prandium non fecerit, debet in dicto festo Nativitatis XL solidos, qui distribuuntur canonicis in dicto festo presentibus. Et est sciendum quod quatuor canonici altaris Beate Marie a distributione dictorum XL solidorum excluduntur.

9. Item debet in festo Pasche eadem facere.

10. Item debet in festo Pentechostes eadem facere.

11. Item in festo Apostolorum Petri et Pauli eadem facere.

12. Item debet in certis anniversariis episcoporum canonicis, matriculariis laicis, ac etiam duobus matriculariis presbyteris, et quatuor canonicis altaris Beate Marie, ac claustrario et succentori, qui presentes fuerint in anniversariis dictorum episcoporum, distribuere cuilibet istorum panem et vinum, videlicet cuilibet unum magnum panem, qui equipollet duobus panibus prebendalibus cum dimidio, tres pintas vini, vel duos solidos parisiensium bone et fortis monete. Anniversaria vero et nomina dic-

torum episcoporum sunt hec : In (1) Vigilia Purificationis beate Marie pro domino Henrico, Trecensi episcopo ; item in Carniprivio, scilicet tertia feria post dominicam in Quinquagesima, pro domino Bartholomeo Trecensi episcopo ; item in die sanctarum Felicitatis et Perpetue pro domino Manasse, Trecensi episcopo ; item in Septimana Penosa, scilicet mercurii post Ramos Palmarum, pro domino Garnero, Trecensi episcopo ; item in octavis Pasche, scilicet lune de Quasimodo, pro domino Nicolao, Trecensi episcopo ; item ultima die junii, pro domino Herveo, Trecensi episcopo ; item die sancti Bartholomei, pro domino Henrico de Pictavia ; item in vigilia sancti Michaelis, pro domino Matheo, Trecensi episcopo.

13. Item debet dominus episcopus totum luminare in ecclesia Trecensi tam de die quam de nocte ; et in Nativitate Domini ad matutinas unam torchiam ; et unam aliam in festo Apparitionis, quando cantatur evangelium ; item unam aliam torchiam in Adventu, videlicet, in jejuniis Quatuor Temporum, quando cantatur evangelium *Missus est*. Et est sciendum quod in eadem ecclesia Trecensi sunt XII festivitates annuales, et in quolibet festo debent poni ante majus altare in XIII candelabris, ibidem ordinatis, XIII cerei ponderis LII librarum cere,

(1) Le ms. n'étant pas clair en cet endroit nous donnons l'énumération suivante d'après le *Liber obituum*, cité par Camusat, *Promptuar*. fol. 148 v°.

quiquidem tredecim cerei debent fieri secundum ordinationem antiquitus observatam.

14. Item debet in festis duplicibus VIII cereos ante dictum altare, ponderis VIII librarum.

15. Item debet ordinarie V cereos tam de die quam de nocte, qui ardere debent continue, videlicet, III in choro, II ante majus altare ; alter ante Sanctam Helenam ; alius ante Salvatorem ; et alius in capella Beate Marie, ponderis quilibet unius libre.

16. Item debet in festo Purificationis beate Marie decano, et cuilibet archidiacono, in dicto festo presenti, unum cereum de dimidia libra ; cuilibet canonico unum cereum de uno quarterio libre ; aliis vicariis et beneficiatis in choro existentibus, servientibus ecclesie, et gentibus canonicorum in hospitiis suis commanentibus cuilibet unum cereum, talis videlicet, quod de libra cere debent fieri octo cerei.

17. Item debet in festo sancti Michaelis totum cotidianum canonicis, vicariis, beneficiatis, in dicto festo presentibus.

18. Item debet die jovis in Cena Domini post evangelium et sermonem et ablutionem pedum factam canonicis et omnibus aliis de choro, dare ad bibendum de vino albo semel, et de vino rubeo bis, videlicet, canonicis de vino de Belna ; et debet vinum ad lavandum altaria.

19. Item in eadem die debet nabulas distribuere canonicis et aliis de choro post potum, ibidem presentibus ; gentes episcopi et claustrarius ministrant.

20. Item debet in festo Pasche dare ad bibendum post nonam canonicis et aliis ut supra in die jovis, et cuilibet canonico de pomis et aliis etiam.

21. Item debet ministrare vinum ad majus altare una cum pane ad cantandum, ac etiam in missa de mortuis.

22. Item debet ignem cestus per totum annum, una cum igne in ecclesia et choro ministrare.

23. Item debet omnes cordas cum quibus campane pulsantur tradere ac etiam ministrare. Matricularii autem laici, quia matricularie sunt de collatione episcopi, debent facere pulsari campanas horis debitis.

24. Item debet tres sermones in anno, videlicet, prima dominica Adventus, prima dominica Quadragesime, et in quarta dominica Quadragesime.

25. Item debet decano XX libras de annuo redditu.

26. Item per compositionem inter episcopum et archidiaconos ecclesie Trecensis de novo factam ea que sequuntur : magno archidiacono L libras ; archidiacono Sezennie XXX l.; archidiacono Sancte Margarete XX l.; archidiacono Brene XX l.; archidiacono Arceyarum XX l. Et sciendum est quod ante dictam compositionem dicti archidiaconi, percipiebant in emolumentis emendarum factarum in curia Trecensi, vel coram episcopo vel gentibus suis, terciam porcionem, videlicet terciam partem, quare provideant dicti archidiaconi de bene custodiendo jura dicti archidiaconatus.

27. Item sunt in ecclesia Trecensi duo matricularii presbiteri, et sunt de collatione episcopi, et debent custodire thesaurum ecclesie, periculo eorumdem. *Liber villosus* (inceptus anno 1349), fol. 10 r° et v°, reg. G-1254.

II. *De capitulo et prebendis ecclesie Trecensis.*

28. Item sunt in ecclesia Trecensi XL prebende, adjuncto priore de Sancto Georgio, qui percipit in ecclesia Trecensi unum grossum, prout unus canonicus, et debet scribi in tabula inter presbiteros ad septimanam presbiteri faciendam, et si sit presens in choro cum facit septimanam suam recepit distributiones chotidianas prout unus canonicus, in dicta septimana tantummodo, et in omni alio tempore est exclusus.

29. Item est sciendum quod de dictis XL prebendis sunt IIII sacerdotales, et oportet necessario quod tenentes dictas prebendas teneantur infra annum, a tempore receptionis computandum, ad sacerdotium promoveri, alioquin non habent vocem in capitulo, nec possunt ad beneficia vacantia, que pertinent ad decanum et capitulum personas aliquas presentare, quousque ordinati fuerint ad sacerdotium antedictum.

30. Item sunt in ecclesia predicta IV canonici altaris Beate Marie, qui continuam residentiam debent facere, ac etiam jurare in receptione eorum deservire continue choro et altari ; et percipiunt in distributionibus cothidianis medietatem distributio-

num unius canonici, ita quod IV canonici dicti altaris valent duos canonicos, in his videlicet que distribuuntur in choro. In aliis distributionibus que fiunt extra chorum nichil percipiunt. Collatio istarum prebendarum pertinet ad episcopum ; sed dicti quatuor canonici sunt de jurisdictione decani et capituli

31. Item est in ecclesia Trecensi subcentor, que subcentoria est de collatione cantoris, et debet dictus subcentor continuam residentiam facere, et computatur in numero vicariorum et percipit prout unus vicarius.

32. Item sunt in ecclesia Trecensi XX vicarii, et non debent plus poni absque subcentore predicto qui facit numerum XXI vicariorum.

33. De divino autem servicio faciendo in ecclesia Trecensi per canonicos, seu vicarios, fiat prout in antiqua regula continetur.

34. Episcopus nullam jurisdictionem habet in canonicos, quia canonici sunt de jurisdictione decani et capituli immediate, nec tenentur coram episcopo seu gentibus suis de aliquo respondere. Item decanus et capitulum ecclesie Trecensis sunt exempti totaliter a jurisdictione et visitacione episcopi, tam a fundacione ecclesie predicte quam de consuetudine notaria et approbata, ac a tanto tempore observatis quam de contrario aliqua memoria non existit.

35. Item est sciendum quod quadraginta prebende, videlicet grossi fructus dictarum prebenda-

rum, lucrantur per canonicos in crastinum festi Pasche quolibet anno, supposito quod canonici sint absentes. Sed si absentes canonici residentiam non fecerint per medietatem unius anni integre, dicti canonici qui dictam residentiam non fecerint tenentur solvere centum solidos celerario ecclesie, totiens quotiens defecerint in dicta residentia facienda. Et si defecerint per unam diem de dicta residentia facienda nichilominus debent solvere dictos centum solidos. Et vocatur ista servitus seu hujusmodi redibentia foraneitas. Illi autem qui residentiam fecerint per medietatem unius anni integre, dictos centum solidos solvere non tenentur. Partitio autem dictorum grossorum fructuum seu prebendarum fit de quinque annis in quinque annis. De modo autem partitionis et qualiter camerarii particulares ordinantur fiat prout in pelle capituli continetur. — *Liber villosus* (inceptus anno 1349), fol. 10 v° et 11 r°, reg. G-1254.

217. — Vers 1167. — « Alexander, episcopus, servus servorum Dei (Henrico) Trecensi episcopo. » Le pape exhorte l'évêque de Troyes à donner « preposituram, quam Villelmus tenuit in ecclesia Trecensi.. magistro Herberto qui.. « quia (Thome) Cantuariensi archiepiscopo exsulanti adheserit propter indignationem principis fuerit spoliatus. » — Giles, *Epistolæ S. Thomæ* II, 105.

218. — 1170.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, ego Rodulfus, prior de Karitate, notum facio et presen-

tibus et futuris, quod prior Sancti Sepulchri, laudante capitulo suo, et meo, et capitulo de Karitate assentiente, dedit Trecensibus Beati Petri domum Rainaldi de Pruvino, que sua erat, libere imperpetuum possidendam ; ita tamen quod comes Henricus dedit ecclesie Sancti Sepulchri X solidos in annuis redditibus propter hoc et XXX libras ad presens pro illa speciali munificentia sua. Et ne hoc vel temporis vetustate, vel alicujus hominis perversitate aut mutaretur aut deperiret, litteris nostris et sigillo nostro confirmamus. Hujus rei testes sunt : Manasses de Villemauro, archidiaconus Trecensis ; Manasses de Pojeio ; Aycius de Planceio ; de laicis : Willermus, marescalus ; Petrus Bristaudus ; Hertaudus, camerarius. Actum est hoc Trecis anno ab Incarnatione Domini M° C° septuagesimo (Voir n. 24). *Cartul.* fol. 55 r°. — *Origin.* liasse G-3709.

219. — 1181.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Placuit omnium presentium futurorumque noticie commendari negotium subscriptum. Canonici Deilocenses grangiam habent terras habentem in parrochia de *Moyré* et parrochia Fontisvenne ; que parrochie cum decimis suis ad capitulum Beati Petri Trecensis pertinent. Cum ergo Trecenses et Deilocenses diu super decimis grangie disceptassent, tandem sic inter eos pacificatum est : pro omnibus terris quas in subscripto Dominice Incarnationis anno, jam dicta gran-

gia suas vel alienas excolebat in decimatura predictarum ecclesiarum. et pro omni decima quam ab ea ibi canonici Trecenses exigebant, grangia sepedicta modium et dimidium bladi persolvet annuatim, Trecas, in granario Beati Petri, ad communem mensuram tocius civitatis, videlicet, quartam partem frumenti, quartam siliginis, mediam avene. Quod ne valeat oblivione deleri, cyrographum factum est ; cujus pars, quam Deilocenses habent, sigillo capituli Beati Petri ; pars, quam Trecenses habent, sigillo abbatis Deiloci signata est. Actum publice, in capitulo Trecensi, anno Incarnati Verbi M° C° LXXXI°. — Archiv. de l'Yonne, *cyrographe origin.* F. Dilo H-595, n. 3.

220. — 29 juillet 1195. — « Celestinus, episcopus, servus servorum Dei, capitulo Trecensi, » le pape approuve « institutionem quam de assensu Bartholomei, Trecensis episcopi, in ecclesia vestra de forensibus canonicis, si per anni dimidium non servierint, de fructibus prebende sue XX solidos tantum et non amplius consequentur ; vinum autem vinearum canonicorum de cetero decedentium inter canonicos mansionarios dividetur.. Nos institutionem ratam habentes, autoritate Apostolica confirmamus. Datum Laterani, IV kalendas augusti pontificatus nostri anno quinto. — *Origin.*

221. — 24 mai. 1221. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei ..archiepiscopo Senonensi.. Venerabilis frater noster Trecensis episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum Trecense capitulum in contemptum episcopi sui multotiens cessare consuevisset a divinis, super hoc ei paterna providere sollicitudine dignaremur.. inherentes igitur statuto generalis concilii, per quod provisum est episcopis in hac

parte, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus si prefatum capitulum, maxime in contemptum sui episcopi, cessaverint a divinis, eodem nichilominus, si voluerit, in ecclesia cathedrali celebrante, tu, ad querelas ipsius, auctoritate nostra, capitulum per censuram ecclesiasticam, cognita veritate, castiges, quod de cetero similiter non attemptent.. Datum Laterani, IX kalendas junii pontificatus nostri anno nono. — Bibliot. nation. *Moreau* 1181, p. 410.

222. — 29 novembre 1225. — « Honorius, episcopus, servus servorum Dei ..episcopo Trecensi » le pape permet à l'évêque « tenendi thesaurariam et archidiaconatum infra balleucam Trecensem; necnon antiquum jus seu consuetudinem faciendi justitiam seu exercendi justitiam ecclesiasticam in ecclesia et infra balleucam Trecensem ; necnon jurisdictionem in abbatiam que Gratia Nostre Domine vulgariter appellatur ; et in domo Dei Brenensi, sicut ea obtines canonice, tibi et successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus.. Datum Reati, IIII kalendas decembris pontificatus nostri anno decimo. — Bibliot. nation. *Moreau*, 1183, p. 292.

223. — 1243.

Omnibus presentes litteras inspecturis Nicolaus, officialis Trecensis in Domino salutem. Cum dies martis in crastinum beati Bartholomei assignata esset coram nobis domino Johanni, prosbitero de Vasconia, contra magistrum Petrum de Claellis super minuta decima et parte oblationum ecclesie de Vasconia, quas idem magister ab eodem presbitero petebat nomine capituli Trecensis; tandem, lite super hiis contestata, et litteris judicis Parisiensis coram nobis exhibitis, recognovit tandem dictus presbiter

quod capitulum Trecense habet tertiam partem in duabus partibus minute decime de Vasconia; et tertiam partem in festis annalibus oblationum similiter, prout credit idem presbyter et vidit in dicto instrumento plenius contineri : nos igitur diffiniendo precipimus dicto presbitero, ut dictam tertiam partem decime minute et tertiam partem oblationum reddat de cetero capitulo Trecensi. Actum anno Domini M° CC° XL° tertio, in crastino beati Bartholomei, apostoli. — *Copie*, liasse G-3700.

224. — 1243. — « Nicholaus, officialis Trecensis » notifie que le chapitre de Saint-Pierre « concessit domino Johanni, presbytero de Vasconia partem suam quam habet idem capitulum in minuta decima et in oblationibus ejusdem, quandiu idem Johannes erit presbiter parochialis ibidem, pro XV solidis reddendis annuatim dicto capitulo, die synodi apud Trecas.. Actum anno Domini M° CC° XL° tertio, in crastino beati Bartholomei, apostoli. — *Copie*, liasse G-3700.

225. — 9 septembre 1263. — « Urbanus, servus servorum Dei, venerabili fratri ..episcopo Trecensi. » Le pape Urbain IV fonde son anniversaire à Saint-Pierre de Troyes, à Saint-Etienne, à Notre-Dame-aux-Nonnains et à Notre-Dame-des-Prés ; à cet effet le pape assigne 100 marcs d'argent à chacune de ces églises. — (Cette bulle se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains*.

226. — Janvier 1286 (*v. st.*). « Mabile, dame de Nanteuil » ratifie l'anniversaire de sa mère « dame Marguerite » fondé par testament à Saint-Pierre et « l'asignement de quarente solz seur les rentes de Vilebertain par bonne mémoire feu Erars, mes freres, jadis evesques d'Auceurre, et feu mais-

tres Thiebauz li Fautriers, jadis chenoignes de Troies exequteurs dou devant dit testament.. L'an de grace 1286, le mois de janvier. » — *Origin.*

227. — Octobre 1302. — « Lettres par lesquelles l'évêque Guichard, après l'examen fait de ses prétentions, et les informations convenables en pareil cas, renonce au droit qu'il prétendait avoir de prendre la portion canonique dans ce qui était légué à cette église par Denis, doyen de ladite église, et déclare que le chapitre a droit de jouir seul des legs faits à cette église. » — *Cartul.* fol. 72 v°.

228. — 15 avril 1302.

Universis presentes litteras inspecturis P., decanus, capitulumque Trecense, salutem in Domino. Notum facimus quod nos, ad honorem Dei et pro servicio in ecclesia nostra Trecensi decencius faciendo, in nostro capitulo generali anno Domini M° CCC° tercio, die lune in crastino octabarum Pasche, ordinavimus ea que sequuntur. Imprimis per decanum et capitulum instituentur XII vicarii in ecclesia. Item per decanum, cantorem et archidiaconos in ecclesia residentes instituentur VI alii vicarii qui vulgaliter vicarii cantoris appellantur; et sic erunt in universo decem et octo. Item predictorum decem et octo vicariorum erit equalis condicio in percipiendo denarios vicarie tam ex redditibus assignatis a dicto cantore quam ex propriis redditibus capituli, percipiet enim quilibet dictorum vicariorum a Pascate et usque ad festum Omnium Sanctorum quolibet die V

denarios et a festo Sanctorum Omnium usque ad Pascha quolibet die sex denarios; et in festis annalibus, duplicibus, et in festis IX lectionum habentibus IX propria responsa, et diebus dominicis in quibus sit dieta quilibet percipiet unum denarium cum sua vicaria. Tenebuntur autem dicti vicarii ecclesie servire modo qui sequitur.. (suit le règlement connu sous le nom de : *Regula* vicariorum ecclesie Trecensis de servicio in choro faciendo. — *Origin.* liasse G-2573.

229. — 18 juillet 1304.

Universis presentes litteras inspecturis G[uichardus], miseratione divina Trecensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod nos, volentes et affectantes anime nostre salubriter providere, donamus et concedimus donatione irrevocabili facta inter viros viris venerabilibus et discretis decano et capitulo Trecensis ecclesie ac ipsi ecclesie omnes et singulos census, redditus, et proventus, in litteris sigillo curie nostre Trecensis presentibus hic annexis contentos, et omnia alia et singula que exinde obvenire poterunt in futurum, que omnia vir venerabilis Jacobus de *Baaçon*, archidiaconus Sezanie in ecclesia Trecensi, nobis dedit et in perpetuum concessit, que dictus archidiaconus emerat a Theobaldo de Foresta, armigero, et domicella Maria, ejus uxore, moventia de feodo episcopatus Trecensis immediate, in villa, finagio et territorio de Pouileio tenendis et

percipiendis ex nunc in perpetuum, secundum quod in predictis litteris exprimitur. Quorum omnium valor distribuetur in missa de Sancto Spiritu quam dicti venerabiles celebrari facere annis singulis quandiu vixerimus promiserunt, et post decessum nostrum anniversarium nostrum celebrabunt annis singulis cum distributionibus consuetis. Que omnia venerabilibus ádmortizamus nichil juris aut proprietatis nobis vel nostris successoribus retinentes. In cujus rei testimonium.. Datum anno Domini M° CCC° IV°, die sabbati ante festum beate Marie Magdalene. — *Origin.* liasse G-3173.

230. — 5 août 1304.

Universis presentes litteras inspecturis, G[uichardus], miseratione divina Trecensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus quod, cum inter nos ex parte una, et venerabiles viros decanum et capitulum nostre Trecensis ecclesie ex altera, super pluribus et diversis articulis infrascriptis controversia moveretur, tandem veritate super predictis diligenter inquisita et comperta, de jure eorum plenius informati, communicato bonorum et juris peritorum consilio, concordavimus cum eis in modum qui sequitur. In primis, consideratis privilegiis a nostris antecessoribus decano et capitulo nostre Trecensis ecclesie concessis, cum usu longevo inde subsecuto, fatemur ecclesiam de Barbona, curatum ipsius, et domum presbyteralem loci ejusdem cum

adjacentibus, totaliter fore exemptos a jurisdictione nostra ordinaria, tam super pertinentibus ad curam, quam aliis quibuscumque, hoc salvo, quod idem curatus nostra et nostri officialis mandata tenetur exequi, ut alias extitit consuetum. Et quia domum dicti curati de Barbona contra ipsius voluntatem intravimus in ea pernoctando, equum ipsius curati per familiares nostros captum et usque nunc a nobis retentum, item saisitionem bonorum dicti curati quam tunc fecimus, hec decano et capitulo per nostri pilei traditionem emendavimus, et ad eorum arbitrium parati sumus satisfacere de emenda. Equum vel ejus valorem in manu dicti capituli restituere promittimus infra octo dies precise, verum de injuria dicto curato per nostros familiares illata, nobis mandantibus vel saltem ratum habentibus ut dicitur, hoc negamus ; sed ex nunc volumus et expresse consentimus, quod per duos viros idoneos de plano veritas diligenter inquiratur, qua comperta, parati sumus et promittimus ex nunc id in quo culpabiles poterimus reperiri emendare dicto capitulo. Item, attenta consuetudine antiqua nostre Trecensis ecclesie, que est juri et rationi consona, fatemur quod cappellania seu aliquod altare statim quod per nos alicui confertur in eadem ecclesia, eo in corporalem possessionem inducto, statim debet poni in choro. Item, dicti capellani, prout etiam ex testamentis plurium fundatorum jurisque peritorum didicimus, residentiam personalem per juramentum in eadem ecclesia tenentur facere, cum continuo servitio chori

et altaris, specialiter in matutinis, missis, vesperis et processionibus, et ad hec facienda tenemur eos per nos, vel, nobis agentibus in remotis, per officialem seu vicarium nostrum, prout requisiti fuerint et ad quod eos obligamus, precise compellere tam per saisitionem fructuum suorum, quam etiam per penas alias, dictosque fructus sic saisitos retinebimus quousque suam contumaciam plene purgaverint, et officium ad quod tenentur libere duxerint exequendum, retenta nobis potestate dispensandi cum aliquibus, si dispensatio nobis competere possit consuetudine vel de jure, quia predictorum capellanorum quidam nec fuerunt in choro positi, nec ecclesie deserviunt, ut tenentur, sed vagabundi existunt huc et illuc, promittimus bona fide quod usque ad mensem ipsos ad ecclesiam redire, ibique deservire precise compellemus per saisitionem suorum fructuum, et ulterius quantum de jure poterimus. Item, violentiam quam quidam monachus tenens nostro nomine prioratum de Sancto Memorio fecit in justitia et molendinis dicti capituli, nostri ac dicti prioratus nomine, et quem postquam predictum forefactum ad notitiam nostram pervenit, in nostro servitio retinuimus et adhuc retinemus, licet dictam violentiam ratam nunquam habuimus nec hebemus, quia tamen nostro nomine et dicti prioratus facta dicitur, incontinenti locum resaisiri faciemus, salvo jure cujuslibet, et si capitulum jus suum velit prosequi parati sumus per nos vel eos a quibus dictam domum tenemus, causam defendere ut jus erit.

Item, de marrenis quos accepimus in foresta *Doche* pro refectione molendinorum de Sancto Memorio malefecimus, et promittimus bona fide valorem ipsius restituere, ad estimationem magistri Johannis *Blesi*, infra quindenam post estimationem, ad convertendum in aliquos usus pios, prout nobis et capitulo videbitur faciendum. Item, de obligatione XL millium librarum turonensium et earum solutione, quas fecimus in manu domine regine, absque consensu et conscientia nostri capituli, quia revera predicta non potuimus nec debuimus facere eo modo quo fecimus, promittimus bona fide ecclesiam nostram super his servare indempnem. Item, bona fide promittimus quod novies viginti et undecim libras, pro valore et estimatione cujusdam crucis auree, in ecclesia nostra Trecensi amisse ob negligentiam nostrorum matriculariorum, solvemus dicto capitulo infra octo dies in pecunia numerata, computato hoc quod archidiaconus Sezanie jam habet penes se. Item, domum presbyteralem ecclesie de Songniaco disruptam, et ex facto nostro, promittimus, bona fide, in statum pristinum reducere et reduci facere propriis sumptibus, et incipere infra instans festum Assumptionis Beate Marie Virginis, et deinceps continuare usque ad operis consummationem. Item, de jure nostre Trecensis ecclesie et consuetudine plenius informati, fatemur, quod quatuor matricularii nostri laici in ecclesia predicta quilibet in sua septimana jacere debet, et omnes quatuor in simul in anniversariis episcoporum in quibus donaria exten-

duntur, et in festis duplicibus et annualibus, et nos bona fide promittimus, quod ex nunc eos ad hoc compellemus, et si negligentes in hoc fuerint, per privationem sui beneficii vel alias puniemus. Item, de compositione et emenda quam capitulo Sancti Stephani Trecensis, cum quo super juribus ecclesie nostre litigabamus, fecimus absque consensu capituli nostri, promittimus et pro certo quod per curiam Romanam et alias procurabimus dictum negotium ad suum statum ita reduci, ut ex hoc non possit nostre ecclesie prejudicium generari in futurum, et quantum in nobis est revocamus. Item, super eo quod fructus ecclesiarum vacantium, per nos vel ministros nostros, percepimus, ut dicitur, contra generalem consuetudinem diocesis. Item, quod ad sumptus mortuorum ecclesias jam aliis collatas fecimus deservire, talia faciendi jus non habuimus nec habemus, promittimus nos hec in posterum non facturos, et si compareant aliqui a quibus nos aliquid ob hanc causam recepimus, vel nostri ministri receperint, veniant ad nos et indubitanter absque difficultate aliqua restituemus eisdem. Item, quicquid capitulo tam de anniversariis denariorum, panis et vini, quam de rebus aliis debemus, promittimus nos soluturos et in futurum diebus et horis statutis solvere. Item, placet nobis quod tres franchi servientes capituli in suis ecclesiis parrochialibus ecclesiastica percipiant et libere percipere valeant sacramenta. Item, de jure decani et capituli super plenius informati jurisdictione quatuor canonicorum altaris Beate Marie

in ecclesia Trecensi, ipsam jurisdictionem dictorum canonicorum confitemur ad dictos decanum et capitulum pleno jure pertinere. Et hec omnia et singula, prout superius sunt expressa, in presentia Stephani de Allemente, clerici, publici notarii; necnon et domini Guillelmi de Columberio, legum professoris; M. Bartholomei de Ranavalle, sigilliferi nostre Trecensis ecclesie; et Guillelmi de Columberio, presbyteri, capellani nostri, testium ad hec vocatorum, volumus, concessimus et promisimus, ac etiam promittimus nos facturos, et imperpetuum et inviolabiliter servaturos, ac in futurum per nos vel per alium contra non venturos. In quorum omnium et singulorum testimonium et munimen sigillum nostrum, una cum signo et subscriptione dicti publici notarii, presentibus litteris duximus apponendum. Actum et concordatum in pleno capitulo dicte nostre Trecensis ecclesie, anno Domini M° CCC° IIII°, die mercurii ante festum beati Laurentii. — *Origin.* liasse G-2601.

231. — 17 avril 1368.

In capitulo generali celebrato in crastino dominice qua cantatum fuit *Quasimodo* anno M° CCC° LX° VIII°, super dubio moto in capitulo ad sciendum quando grossi fructus prebendarum Trecensium lucrari debent: habita deliberatione super hoc, inventum fuit et est ordinatum, quod quilibet canonicus Trecensis in ortu solis diei Resurrectionis Dominice

lucrabitur grossos fructus prebende sue Trecensis pro messibus prope sequentibus anno quolibet. Capitulantibus : domino decano ; majore, Sancte Margarete, Brene, et Arceyarum archidiaconis ; Joanne Boreti, Aymerico Helie, Jacobo Cognati, Guillelmo Audeberti, Nicolao Scoti, Petro de Arbosio juniore, Guillelmo de Creneyo, Joanne Gueraudi, Joanne de Cameraco, Joanne Biseti, Guillelmo Mauberti, et Petro de Rameruco canonicis Trecensibus. In dicto generali capitulo ordinatum fuit et statutum, quod quilibet canonicus Trecensis in civitate Trecensi decedens, solvat fabrice ecclesie, pro pallio super suum corpus ponendo in ejus obsequio VI florenos auri de Florencia, boni auri et justi ponderis vel valorem ipsorum, et quilibet canonicus dignitatem in dicta ecclesia obtinens, solvet VIII florenos auri de Florencia dicti ponderis vel valorem, in casu quod alias in suo testamento ordinatum non fuerit ; sed si ornatio facta non sufficeret usque ad predictam summam executores, vel heredes, perficient dictam summam de bonis executionis defuncti canonici, si bona ad hec sufficienter se extenderent. Attamen licebit cuilibet habere pallium proprium secundum suam voluntatem, proviso quod pallium sit consimilis valoris, vel majoris, et non minoris valoris pretii suprascripti, et mediantibus prescriptis ecclesie videlicet fabrica tenebitur cuilibet canonico tradere pallium sufficiens ad ponendum super corpus suum in obsequio suo. — *Reg.* G-1273, fol. 49 r°.

232. — 8 août 1369.

Anno M°CCC°LXIX°, die mercurii, octava augusti, Ordinacio facta in et super distributionibus cothidianis lucrandis, quas percipiunt canonici Trecenses residentiam facientes in dicta ecclesia, videlicet, in matutinis, missis, processionibus, stationibus et balsamis.

Primo in festis annalibus quilibet canonicus percipit XXXII denarios, videlicet, in matutinis XVIII d., in missis VI d., in processione IIII d., et in vesperis IIII d.

2. In festis duplicibus XX d., videlicet, in matutinis XII d., in missa IIII d., et in vesperis IIII d.

3. In festis X d., videlicet, in matutinis VI d., in missa II d., et in vesperis II d.

4. In diebus dominicis XII d., videlicet, in matutinis VI d., et in missa II d., et in processione II d., et in vesperis II d. Et si festum duplex dictis diebus dominicis evenerit, distribucio cothidiana dimittetur.

5. In diebus privatis VIII d., videlicet, in matutinis IIII d., in missa II d., et in vesperis II d.

6. Item per totum Adventum X d., videlicet, in matutinis VI d., in missa II d., et in vesperis II d.

7. Item de Septuagesima usque ad Pascha.

3. In processionibus Sancti Martini de Areis, in Rogationibus, Beate Marie Magdalene, Sancti Stephani, Sancti Lupi, et Beate Marie ad Moniales pro-

qualibet processione quilibet canonicus percipiet VI d. turonensium, existens personaliter in eisdem; infirmi, flebotomati et absentes pro negociis ecclesie tantum percipient et computabuntur.

9. In processione Monasterii Celle in Rogationibus cuilibet canonico existenti XII d. et ut supra.

10. In processione Omnium Defunctorum, videlicet, in crastino Omnium Sanctorum, et in die Ascensionis Domini quilibet canonicus percipiet IIII d. existens ut supra.

11. In processionibus Mortuorum illi qui presentes interfuerunt lucrabuntur, absentes etiam pro negociis ecclesie, et infirmi.

12. Item in stacionibus factis in ecclesia cuilibet canonico presenti ibidem II d.

13. Item ad Fontes in quatuor diebus, videlicet. die Resurrectionis, et lune, martis, et mercurii, cuilibet canonico qui presens interfuerit II d.

14. In distributione facta pro capitulis generalibus percipient qui in compotis intererunt, infirmi, et absentes pro negociis ecclesie, pro quibus distribuuntur anno quolibet XX s. cuilibet canonico, videlicet in Pascha V s. t., in capitulo apostolorum Petri et Pauli X s. t., et in Circumcisione Domini V s. t.

15. De pastu festorum annualium, quem debet dominus episcopus Trecensis canonicis, videlicet, in Resurrectione Domini XL s.; in Penthecoste XL s.; in festo BB. Petri et Pauli XL s.; in Assumptione B. Marie XX s.; in festo Omnium Sanctorum XX s.; in Nativitate Domini XL s., percipiunt canonici pre-

sentes, infirmi, etiam et absentes pro negociis ecclesie, canonici vero altaris B. Marie in ista ecclesia nichil percipiunt.

16. Et est advertendum quod, si dominus episcopus invitaverit totum collegium in aliquo festo predictorum, videlicet, in vigilia dicti festi et in die festi ad prandium, immunis erit a prestatione pecunie occasione dicti festi debite.

17. Item in anniversariis episcoporum in quibus in domo episcopi solet recipi panis et vinum, panis ille debet continere duos panes prebendales cum dimidio boni frumenti ; et in vino debent distribui cuilibet III pinte boni et sufficientis vini.

18. Item de vino in Cena Domini ter bibere existentibus in capitulo, videlicet, in prima vice vinum rubeum bonum, secunda vice album, et tercia vice vinum rubeum optimum cum nebulis.

19. Item in die Pasche post prandium, ludo facto cum pila, inter nonam et vesperas, ter bibere, ut supra, cum pomis de Blandurello et nebulis.

20. Item de cereis debitis in festo Purificationis B. V. Marie dominus episcopus tenetur tradere in vigilia dicti festi cuilibet famulo vel ancille de familia canonicorum unum cereum de octo cereis in libra ; canonicis vero in die festi prout est fieri consuetum et in Ordinario plenius continetur.

21. Item de distributione facienda pro antiphonis *des O O*, cuilibet canonico IIII d. pro quolibet *O*; nullus percipiet nisi presens fuerit.

22. Item de nonis inter Septuagesimam et Resur-

rectionem Domini in quibus consuetum est distribuere X s. pro qualibet nona, distribuentur presentibus in nona et non aliis. — *Origin.* sur papier, liasse G-1273 — reg. G-1273, fol. 62 r°.

224. — Juillet 1399. — *Satutum seu ordinacio super sedibus et locis inter dominos Trecensis ecclesie observandum.*

Decanus et capitulum Trecensis ecclesie universis et singulis quos infrascriptum tangit vel tangere poterit negotium, salutem in Eo qui neminem vult perire. Ne culpabilis ignorantia, ex inordinata confusione proveniens, tetra sui caligine lumini veritatis et pacis tranquilitati velamina sepius objiciens, hujus Trecensis capituli suppositorum mentales valeat oculos excecare, unde, quod absit, contingeret per devia procedere tenebrosa ; insuper, ne a rationis tramite et debite ordinacionis observantia facile exhorbitent, unde aliquos eorum contingat in labirinthum contentionis rigorose, alios in jurgia, dissentiones et scismata, reliquos vero in rancores, iracundias et odia prosilire, que penitus a consortio ecclesiastice viventium dignoscuntur extirpanda ; ut tandem inter eos quos eadem nutrit fides, eadem decorant orthodoxa fidei sacramenta, regnet tranquillitas, pax dominetur, unitas corda confederet, nexus animos conjungat amoris, et unusquisque qua vocatus est maneat mansione, eaque contentetur, presenti statuto seu ordinacione decernimus, et declaramus aliqua, que inter nos sub specie contra-

rietatis et repugnantie ferebantur, salva in omnibus reverentia, contrariarum juris vel facti aut consuetudine observantiarum ecclesiarum ceterarum : primo, videlicet, quod in choro, capitulo, et processionibus quilibet stet aut incedat loco sibi congruenti secundum exigentiam sue dignitatis vel ordinis, sic, scilicet, quod omnes dignitates locis prioribus, juxta morem hactenus inter eas observatum ; sacerdotes consequenter secundum ordinem sue promotionis ad gradum sacerdotii ; diaconi vero postea secundum suas antiquitates in eodem ordine sedes obtinebunt. Pro cujus articuli evidentia et declaratione majori est sciendum, quod in premissis sedium aut locorum collocationibus, absolute non attenditur ordo receptionum, nam si primo receptus ultimo ad ordinem sacerdotii sit promotus, inter sacerdotes ultimum locum obtinebit, et sic de diaconis est censendum. Itemque in choro cuilibet assignetur sedes determinata, qua utatur sive in ecclesia sint plures sive pauciores, ne aliter supervenientibus prejudicium aut impedimentum inferatur. Quod est, ut premittitur, observandum, nisi in premissis sedibus viri honesti, qui non sunt de gremio ecclesie, admittantur. Et idem premissus ordo servandus est ad beneficia conferenda. Premissa volumus perpetuis temporibus obtinere roboris firmitatem. Datum Trecis, in capitulo nostro generali, anno Domini M° CCC° XC° IX°, post festum beatorum apostolorum Petri et Pauli, more solito inibi celebrato. — *Liber villosus*, reg. G-1254, fol 118 v°.

CHARTES

DE LA

COLLÉGIALE DE SAINT-URBAIN

1. — 1262. — « Ou coffret signé de cette lettre A. XVII paires de lettres, faictes soubz le séel de la court l'official de Troyes, de l'achat fait par maistre Jehan Garcie et Thiébaut d'Acenay, procureurs et commis de par le pape Urbain quart, fondeur de la dicte eglise, à acheter rentes et possessions pour la fondation d'icelle de plusieurs maisons et héritages, assis à Troyes et autre part, qui de présent ne sont point en usage. Données dès l'an mil CC LXII et depuis. — *Inventaire de* 1399. (Voir l'*Introduction*).

2. — 20 mai 1262. — « Unes bulles du pape Urbain, fondeur de la dicte église, données *anno primo*, adreçans aus religieuses abbesse et couvent de Nostre-Dame-aus-Nonnains de Troyes, par lesquelles il leur requiert que la maison paternelle, que pieça avoit donnée à leur monastère pour le remède des ames de ses parens et amis, elles veillent vendre à ses procureurs, et aussi autres maisons et places d'environ, s'aucunes en y ont, pour y faire et édifier la dicte esglise. Données l'an Mil CC. LXII. » — (Cette bulle se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains*).

3. — Septembre 1262.

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Trecensis salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presentia constitutus Henricus dictus *Damerons*, civis Trecensis, recognovit et confessus est coram nobis se vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Johanni Garsie,

canonico ecclesie S. Stephani Trecensis, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus, ut dicitur, domini pape, super hoc speciale mandatum habentibus, procuratorio nomine antedicto quandam domum quam se habere dicebat Trecis sitam, ut dicitur, juxta domum Godefridi dicti *Larchelier* ex parte una, et juxta domum magistri Roberti, aurifabri super Ruellam, ut dicitur, ex altera, tenendam, et imperpetuum possidendam a dictis procuratoribus procuratorio nomine antedicto, pro C et XXX libris pruviniensium, de quibus dictus Henricus se tenuit coram nobis pro bene pagato, exceptioni non numerate et non solute sibi pecunie omnino renuntiando; promittens per fidem suam corporaliter prestitam, quod contra hujusmodi veuditionem et quittationem per se vel per alium non veniet in futurum; et quod nichil juris de cetero in dicta domo reclamabit, seu faciet per alium reclamari; immo ipsis procuratoribus procuratorio nomine antedicto super dicta domo legitimam portabit garantiam erga omnes, renuntiando in hoc facto privilegio fori, exceptioni doli, et ne possit dicere se esse deceptum in venditione hujus modi ultra dimidium justi pretii, omnique juris auxilio canonici et civilis; volens et concedens quod si contra premissa venerit vel aliquod premissorum, quod nos excommunicemus eumdem quocumque loco maneat vel exstat, se quantum ad hec jurisdictioni Trecensis curie supponendo. Noveritis etiam quod Coutelina, uxor dicti Henrici, in presentia clerici nostri jurati et ad hec speciali-

ter destinati, predictas venditionem et quittationem laudavit et approbavit; ac renuntiavit omnibus exceptiobus supradictis et beneficio dotis seu donationis propter nuptias ; ac promisit per fidem suam quod contra predictas venditionem et quittationem per se vel per alium non veniet in futurum; et voluit et concessit quod si contra veniret quod nos excommunicaremus eamdem, quocumque loco maneat, vel consistat, et se quantum ad hoc jurisdictioni Trecensis curie supponit prout dictus clericus asseruit coram nobis. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum Trecensis curie duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta.

4. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « magister Robertus, aurifaber, civis Trecensis ..vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus, ut dicitur, domini pape ..quamdam domum.. Trecis sitam.. versus domum que fuit defuncti Philippi dicti *Gingiebre* super Ruellam ex una parte, et juxta domum Petri dicti Sarraceni ex altera ..pro C et XVII libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta. » — *Origin.*

5. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Bertholomeus dictus Aurifaber, civis Trecensis ..vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quittavisse magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini pape.. quamdam

domum Trecis sitam in Magno Vico Trecensi.. pro LXV libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta. » — *Origin.*

6. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Agneleta, Omanioneta, Oddo, et Agneleta parva, liberi Petri Goulerii, civis Trecensis.. vendidisse.. magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini Pape.. quamdam domum.. Trecis sitam in Magno vico, juxta domum Godefridi dicti *Larchelier* ex una parte, et domum Petri dicti Sarraceni ex altera.. pro L libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margarita. » — *Origin.*

7. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Coletus dictus Coquina Regine, et Katerina, ejus uxor ..vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini pape.. quicquid juris habebant vel habere poterant in quadam domo quam ad vitam eorum tenebant.. a religiosis sanctimonialibus Beate Marie Trecensis, sitam Trecis juxta domum Godefridi dicti *Larchelier* ex una parte, et juxta domum liberorum Petri dicti *Legoulier* ex altera, pro XLV libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta. » — *Origin.*

8. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Godefridus dictus *Larcheliers*, et Felisea, uxor ejus.. vendidisse.. magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini pape.. quicquid juris habebant vel habere poterant

in duabus domibus quas ad vitam utrorum tenebant .. a religiosis sanctimonialibus Beate Marie Trecensis.. una sita est juxta domum liberorum Petri dicti *Legoulier*, pro LXXX libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta. » — *Origin.*

9. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Jacobus dictus de Villa Luporum, Milo dictus de *Thiefrain* et Johanetta, ejus uxor, Huiardus de *Auson*, cives Trecenses.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Johannni Garsie, canonico S. Stephani Trecensis, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini pape.. quamdam domum in Curia Beate Marie ad Moniales Trecenses, sitam juxta domum magistri Martini dicti de Logia, clerici, ex una parte, et juxta domum domini Jacobi dicti de *Dilon*, presbiteri, ex altera.. pro LXXX libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. Nota Petri de Sancta Margareta. » — *Origin.*

10. — Septembre 1262. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Johannes dictus *Blanc-Toupet*, et Ysabellis, uxor ejus, Galterus, frater dicte Ysabellis, et Luqueta, dicti Galteri soror.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus domini pape.. quamdam domum, cum quadam platea dicte domui contigua.. Trecis sitam juxta domum Petri dicti *Sarrazin*.. pro C et XL libris pruviniensium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense septembri. » — *Origin.*

11. — Mars 1262 *(v. st.)*. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Michael dictus Rasus, et Felisia, uxor ipsius Rasi.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quita-

visse magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, et Theobaldo dicto de Acenaio, civi Trecensi, procuratoribus ut dicitur de capella Urbani, Dei gratia summi Pontificis, XXV solidos annui redditus.. super domo defuncti Guillelmi de *Chartres*, pro XII libris et dimidia pruviniensium fortium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° secundo, mense martio. — *Origin. scellé.*

12. — Avril 1263. — « Officialis Trecensis » il notifie que « domina Petronilla de Juliaco, filia domini Guidonis de S. Benedicto, militis ..vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse magistro Martino, hostiario et procuratori domini Pape, nomine ecclesie B. Urbani, pape et martyris, quam dominus papa de novo construi facit in solo paterne domus apud Trecas, quoddam stallum situm Trecis ante Lobiam Trecensem, in loco ubi venditur omasa, pro XL libris pruviniensium fortium » payées comptant. « Datum anno Domini M° CC° LX° tertio, mense aprilis. — *Origin.*

13. — Septembre 1263. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Petrus Sarracenus, et Blancha, uxor ejus, cives Trecenses.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse sanctissimo in Xpisto patri ac domino Urbano, sancte Romane ecclesie summo Pontifici, et ejus successoribus duas domos quas se habere dicebant apud Trecas.. una est in Magno Vico juxta domum defuncti Vilani *Buci* ante furnum ad cancellariam ; altera vero inter domum magistri Roberti, aurifabri ..et domum que fuit Guillermi de Carnoto.. pro CC et XL libris turonensium » payées comptant. « Actum anno Domini M° CC° LX° tertio, mense septembri. — *Origin.*

14. — 13 janvier 1264.

Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Arremarensi, Trecensis diocesis, et decano ecclesie S. Stephani Trecensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius frater Johannes, abbas monasterii Virziliacensis, Eduensis diocesis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, apud Sedem Apostolicam constitutus, sua bona et spontanea voluntate dederit, vendiderit et ad perpetuitatem concesserit dilecto filio magistro Michaeli de Tholosa, sancte Romane ecclesie vicecancellario, recipienti de mandato nostro vice ac nomine nostro venditionem hujusmodi, domum seu grangiam ad dictum monasterium pertinentem, sitam in diocesi Trecensi, que vulgaliter dicitur Malus Nidus, cum domibus, vineis, terris, pratis, silvis, nemoribus, pascuis, aquis, montibus, planitiis et cum omnibus juribus, rationibus, usibus, utilitatibus et pertinentiis suis ad opus ecclesie nostre, quam in civitate Trecensi ad honorem B. Urbani, pape et martyris, construi facimus, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur. Nosque venditionem hujusmodi per nostras sub certa forma litteras duximus confirmandam, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum dilectos filios magistrum Johannem Garsie, canonicum Trecensem, capellanum, vel magistrum

Martinum, ostiarum, nostros, pro nobis in possessionem dicte domus seu grangie per vos vel alium seu alios inducentes, et defendentes inductos, faciatis eos pacifica ipsius domus seu grangie, suorumque jurium et pertinentiarum possessione gaudere; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstante si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem. Datum apud Urbemveterem, idus januarii pontificatus nostri anno tertio. — (Extrait d'une commission datée « die martis ante Purificationem B. Virginis M° CC° LX° quarto. » *Origin.*)

15. — 30 avril 1264. — Officialis Trecensis » il notifie que « magister Felix, domini pape capellanus, canonicus Autissidorensis.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quittavisse pro ecclesia S. Urbani et nomine ipsius, magistro Martino, ejusdem domini pape procuratori, domum suam quam habebat in Burgo S. Dyonisii, retro ecclesiam, sicut se comportat a parte burgi predicti usque ad pavimentum posterius subtus murum domini episcopi Trecensis, pro C libris turonensium » payées comptant. « Datum ultima die mensis aprilis, anno Domini M° CC° LX° quarto, in vigilia apostolorum Philippi et Jacobi. » — *Origin.*

16. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Huiardus *Bouchins*, et Agnes, uxor ejus, cives Trecenses

..vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum viro venerabili et discreto magistro Johanni Garsie, canonico, Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, et magistro Martino, domini pape hostiario, procuratoribus sanctissimi in Xpisto patris domini Urbani, divina providentia summi Pontificis.. ad opus ecclesie S. Urbani Trecensis et ministrorum ejusdem ecclesie, quam idem dominus summus Pontifex Trecis edificari facit.. pro pretio LXXX et III librarum bonorum et legalium pruvinensium fortium » payées comptant « quamdam domum sitam Trecis in Vico Medio juxta domum Isabellis *Larchelière* ex una parte, et juxta appenditium liberorum Johannis, olearii, ex altera.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense mayo. » — *Origin. scellé.*

17. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Theobaldus de Roseriis, canonicus S. Stephani Trecensis ..vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum viro venerabili et discreto magistro Johanni Garsie, canonico, Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, et magistro Martino, domini pape hostiario (*ut supra* n. 16), pro pretio D librarum bonorum et legalium pruvinensium fortium » payées comptant « mediedatem halarum sitarum Trecis, in quibus mercatores de Douasco consueverunt vendere pannos per nundinas Trecenses » ces halles tiennent aux halles « in quibus mercatores de Pruvino consueverunt vendere pannos radiatos; que hale site sunt juxta vicum qui dicitur Corderia ex una parte, et juxta Templum ex altera.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense maio. » — *Origin.*

18. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Petrus dictus Salnerius, et Aalaidis, uxor ejus, cives Trecenses ..vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum » à Jean Garsie, Thibaut d'Acenay, Martin (*ut supra* n. 16), « pro pretio DCCC librarum turonensium » payées comptant « 1° quamdam domum suam lapideam sitam in Salneria juxta

domum Domus Dei Comitis.. et juxta domum Michaelis Rasi; 2° quoddam cellarium cum domo contigua in vico defuncti Jacobi de Valrege, sublus domum Bartholomei de *Gandeluz;* 3° quatuor libras turonensium, unam libram piperis, unam libram cere, unam fulcam, unam *pele*, et unam *cevière* annui redditus super quadam domo sita in Foro Trecensi juxta domum Michaelis Rasi.. et juxta domum Petri Marescalli.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto. » — *Origin.*

19. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Theobaldus de Acenaio, et Juliana, uxor ejus.. vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. et magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CCC librarum bonorum et legalium pruvinensium fortium » payées comptant « quamdam domum sitam in Salneria Trecensi » chargée « a quatuor denariis censualibus, qui debentur ecclesie monasterii Celle Trecensis, que domus sita est juxta domum Marie, filie defuncti Petri.. et juxta domum Milonis de Pougeio.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense mayo. » — *Origin.*

20. — Mai 1264. — « Unes lettres comant Jean Fromont, et Jehanne, sa femme, ont vendu à maistre Jehan Garsie, Thibaut d'Acenay, et maistre Martin, huissier, procureurs de N. S. P. le pape Urbain quart.. parmy le pris de quatre cents marcs d'estrelins (treze sols et quatre estrelins pour marc), et parmy cent livres de bons tournois.. la moitié des hales de Provins à Troyes, es quelles les marchands dou dit Provins vendoient leurs draps royés; et la moitié des hales de Douay, es quelles les marchands dudit Douay vendent leurs draps, ainsin comme elles se comportent dès la rue de la Corderie jusques à la maison de la chevalerie du Temple, franches, excepté de 22 deniers de censive envers l'église Nostre-Dame de Troyes. Item une maison assize à Troyes, laquelle fut feu Jaques de Giffaumont, tenant à la

maison Marion Cornet d'une part, et d'autre part à la voie par où l'on va du marché de Troyes à l'église Saint-Pantaléon. Item la moitié de 25 sols de cens portant lods et vantes.. L'an 1264, ou mois de may. » — (Cahier intitulé : *Extrait du Cartulaire de l'église de Saint-Urbain*, n. 12).

21. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Jacobus dictus Alemannus, draperius, et Ysabellis, ejus uxor.. vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CCC librarum bonorum et legalium pruvinensium fortium » payées comptant « quamdam domum sitam in Draperia Trecensi juxta domum Jacobi *le Bergaut*.. et juxta domum abbatis et conventus de Altovillari ; et etiam aliam domum in vico Templi juxta domum Garneri de Divione.. et juxta domum Johannis de Lingonis.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense mayo. » — *Origin.*

22. — Mai 1263. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Theobaldus de Acenaio, et Juliana, uxor ejus, cives Trecenses.. vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum.. Johanni Garsie, et Martino, domini pape hostiario, procuratoribus una cum ipso Theobaldo sanctissimi in Xpisto patris domini Urbani (*ut supra* n. 16) pro pretio C librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « XII denarios annui census.. percipiendos super quadam domo sita in Draperia Trecensi juxta domum jacobi *le Bergaut*.. et domum abbatis et conventus de Altovillari..; et unum obolum annui census super quadam domo sita in Vico Templi juxta domum Garneri de Divione ..et domum Johannis de Lingonis..; et II denarios censuales, quos Theobaldus et Juliana habebant super quadam parte cujusdam domus site ante curiam B. Marie ad Moniales Trecenses juxta domum predicti Martini, que domus fuit defuncti domini Jacobi

Dielon, quondam presbiteri.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense mayo. — *Origin. scellé.*

23. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Johannes de Claravalle, carnifex, et Maria, ejus uxor, cives Trecenses ..vendidisse et nomine venditionis quittavisse imperpetuum.. Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenaio.. magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio C et XX librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « omnem partem, omne jus, commodum, et auctionem quam habebant in tholoneo Trecensi, scilicet in tholoneo bestiarum, in quo tholoneo habent abbas et conventus Monasterii Celle Trecensis XX solidos et quinque primos dies in quibuslibet nundinis Trecensibus ; item, priorissa et conventus de Foissiaco XX solidos ; item, abbatissa et conventus S. Marie Trecensis quinque mercata quolibet anno, scilicet mercatum die veneris et die sabbati ante festum Assumptionis B. Marie Virginis, et tria mercata ante Nativitatem B. Marie, Purifinationem B. Marie, Annunciationem Dominicam, residuum vero tholonei, excepto vicecomitatu, dicti Johannes et Maria suum firmiter asserebant.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense maio. » — *Origin.*

24. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Johannes de Claravalle, carnifex, et Maria, uxor ejus, cives Trecenses.. vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio C et XX librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « unum modium frumenti boni et legalis ad valorem minagii, ad mensuram Trecensem » à prendre tous les ans « octo diebus post Nativitatem Domini in granario S. Urbani Trecensis. » Pour ce muid de froment les vendeurs « assignaverunt terras liberas super *la granche de Fontaines lez*

Montaulain.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense maio. » — *Origin.*

25. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Droco de Logia, miles, et domina Helvidis, ejus uxor.. vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum viro venerabili et discreto Johanni Garsie, canonico, Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, et magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CCC LX et IV librarum pruviniensium fortium » payées comptant « XV libras, III solidos, VII denarios et obolum annui et perpetui census, portantes laudes et ventas.. et VI libras annui et perpetui redditus.. Actum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. — *Origin.*

26. — Mai 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Stephanus Loerii, et Maria de Campo Gillardi, uxor ejus, cives Trecenses.. vendidisse et nomine venditionis concessisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. et magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio XIV librarum pruviniensium fortium » payées comptant « unum sextarium et tres boissellos frumenti boni et legalis, ad valorem minagii ad mensuram Trecensem, nomine census portantis laudes et ventas.. assignatum super terris in Ruella de Chichereio, qua itur ad ecclesiam B. Marie de Prato.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense maio. — *Origin.*

27. — Mai 1264. — « Officialis Trencensis » il notifie que « Guiotus de Viaspera, armiger, et Margareta, ejus uxor.. vendidisse et nomine venditionis quittavisse magistro Johanni Garsie, magistro Martino, et Theobaldo de Acenaio procuratoribus fabrice ecclesie B. Urbani Trecensis, XXVII solidos et V denarios pruviniensium censuales, de franco alodio, liberos.. portantes laudes et ventas ; et omnes alios census quos habent.. in civitate et suburbio Trecensi.. pro L libris pruviniensium » payées comptant. Ces censives sont « ra-

tione domorum et viridarii Trecis in vico qui dicitur vicus *des Buchettes*; et ratione prati apud molindinos Omondi.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense maii. — *Origin. scellé.*

28. — Juin 1264. — « Theobaldus, Dei gratia, rex Navarre, Campanie et Brie comes palatinus » fait cette notification ; « quod nos vendidimus et nomine ac titulo venditionis concessimus et quittamus in perpetuum magistro Johanni Garsie, canonico Trecensi, Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, et magistro Martino, domini pape hostiario, procuratori sanctissimi patris domini Urbani.. constituto ad emendum videlicet et recipiendum possessiones et redditus ad opus canonicorum ecclesie Sancti Urbani Trecensis, quam ecclesiam idem dominus summus Pontifex Trecis edificari facit.. pro pretio videlicet M et CCC librarum bonorum et legalium turonensium » payées comptant « domum novam, sitam in loco qui dicitur *Oriant* juxta Hospitale, cum omnibus granchiis, terris, pratis.. que domus cum dictis suis pertinentiis trecenta arpenta dinoscitur continere; quam domum emimus a Bernardo de Montecucco et Margareta, ejus uxore, civibus Trecensibus. » Le comte promet aux chanoines « domum garentire quittam et liberam, atque defendere in manu mortua erga omnes, retenta nobis tamen justitia et custodia.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.* — *L'inventaire* de 1399 porte : « vendicion de la maison neuve ou lieu d'Oriant, à présent appelée la grange de la Loge l'Apostole. »

29. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « domnius Johannes, thesaurarius, et dominus Guido, frater ejus, canonicus Laudunensis, vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. et Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio nongentarum et quinquaginta librarum bonorum et legalium

pruviniensium fortium » payés comptant « quicquid habebant in tota decima bladi de Rumiliaco et omne jus quod habent in dicta decima intra grangiam et extra grangiam; quam decimam tenebant de retrofeodo a domino Hugone de Rumiliaco, milite » se portent garants de cette vente: « dominus Hugo; reverendus ejus frater, armiger, dominus Guillermus de Rumiliaco; et Ancelinus, frater ejusdem Guillermi.. » Sur ces dimes « percipere debet singulis annis Guido, rector ecclesie de Rumiliaco, III sextarios sigali ad mensuram de Triangulo.. et debentur singulis annis circiter IV sextarios frumenti, ad dictam mensuram, pro pane distribuendo die Resurrectionis Domini in dicta ecclesia de Rumiliaco.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » *Origin. — Vieille copie.*

30. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Girardus *li Berrichiers*, civis Trecensis.. vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum viro venerabili et discreto magistro Johanni Garsie, canonico, Theobaldo de Acenaio, civi Trecensi, magistro Martino, domini pape hostiaro (*ut supra* n. 16) pro pretio XVI librarum pruviniensium fortium » payées comptant « tres solidos et tres obolos annui et perpetui census portantis laudes et ventas, super quadam domo sita in Vico Medio, quam domum Huiardus *Bouchins* vendidit procuratoribus antedictis.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.*

31. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Simon de Meriaco, miles, et domina Ysabellis, ejus uxor.. vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CC et LXXX librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « quamdam domum suam, cum cellario, caveis, ..sitam Trecis juxta domum Rolandi *Bonsigneur*.. et juxta domum Garneri *Tor-*

pin.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin. scellé.*

32. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Renaldus, canonicus Trecensis.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio C et L librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « quamdam domum suam sitam in Foro Trecensi juxta Domum Dei Sancti Bernardi.. et juxta domum *La Chaurée.* » Cette maison est chargée « a quinque solidis annui redditus, qui debentur Domui Dei Sancti Bernardi.. Jacobus de Senonis, quondam prepositus domini Trecensis episcopi, se constituit fideijussorem pro dicto Renaldo.. Datum Trecis anno Domini M° CC° LX° quarto, mense jnnio. » — *Origin.*

33. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « dominus Johannes de Insulis, miles ; domina Agnes, ejus uxor ; Jaquetus de Vendopera, Margareta, ejus uxor ; Jacquinus de Insulis, clericus ; Adelina, ejus uxor ; et Felisea, relicta Petri Munerii.. vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio XLVIII librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « XXX denarios annui census, portantes laudes et ventas.. in duabus domibus contiguis que fuerunt defuncti Johannis Bergerii, sitis in Vico Medio.. una est sita juxta Ruellam per quam itur ab ecclesia Sancti Johannis ad vicum Templi ; alia domus sita est juxta predictam domum et protenditur a dicto Vico Medio usque ad vicum Beate Marie.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto. — *Origin. scellé.*

34. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Seherus de Fontanis, armiger.. vendidisse et nomine

venditionis quitasse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenaio.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio XX librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « XXXV solidos annui et perpetui redditus.. in theloneo animalium Trecensium, quos tenebat de retrofeodo a Johanne de Rigniaco, armigero.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.*

35. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Guillermus dictus de Virduno, et Margareta, ejus uxor ..vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. Martino (*ut supra* n. 16) pro L solidis pruviniensium » payées comptant « XL denarios pruviniensium annui et perpetui redditus.. Trecis, super domo sita in Medio Vico juxta domum Isabellis dicte *Archelière*.. et domum Clareti dicti *Fichaut*.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.*

36. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Guiotus, filius defuncti Johannis Bergeri, civis Trecensis.. vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenaio.. magistro Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CC et LX librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « duas domos quas habebat contiguas Trecis juxta domum defuncti Petri de Latigniaco.. et juxta domum defuncti Johannis Bergeri, sicut predicte due domus se comportant ante et retro a Vico Medio usque ad vicum Beate Marie.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin. scellé.*

37. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Juliotus de Sezannia, gener Bernardi de Montecuco, et Emelina, uxor ejus ..vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenaio..

Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio LXXX librarum bonorum et legalium pruvinensium fortium » payées comptant « medietatem cujusdam prati, siti in praeria de Ponte S. Marie, excepto feno anni presentis, quod pratum dicitur pratum *de la Gravière*, et ad quod pratum partitur venerabilis vir Johannes, decanus S. Quiriaci de Pruvino; propter quod pratum debentur tres obofi annui census nobili viro domino de Barbereio.. Actum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.*

38. — Juin 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « dominus Droco de Logia, miles, et domina Helvidis, uxor ejus ..vendidisse et nomine venditionis quitavisse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenaio.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio CCC et LXIIII librarum pruviniensium » payées comptant « XV l. III s. VII d. I o. annui et perpetui census portantis laudes et ventas; et VI libras redditus perpetui super quibusdam cedulis.. Actum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junii. » — *Origin.*

39. — Juin 1264. — Officialis Trecensis » il notifie que « Petrus dictus Rasus.. vendidisse et nomine venditionis imperpetuum quitavisse Johannni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. Martino (*ut supra* n. 16) pro pretio C et LXXX librarum pruviniensium fortium » payées comptant « domum suam juxta domum domini Girardi de *Bezençon*, militis, a vico S. Johannis ad vicum Templi, francam.. Actum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense junio. » — *Origin.*

40 — 12 septembre 1264 — 8 novembre 1273.

Universis presentes litteras inspecturis, Ancherus, miseratione divina tituli Sancte Praxedis sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis, salutem

in Domino sempiternam. Noveritis quod nos anno Domini M° CC° LXX° tertio, die martis ante festum B. Martini hyemalis litteras inferius annotatas vidimus in hec verba :

Universis.. magister Johannes Garsie, canonicus, et Theobaldus de Acenayo, civis Trecensis, salutem in Domino. Noverint universi, nos recepisse et habuisse de pecunia Beati Urbani Trecensis, pro emendis possessionibus et redditibus ad opus ejusdem ecclesie, et pro fabrica facienda, decem milia marcharum sterlingorum bonorum et computabilium, tresdecim solidis et quatuor sterlingorum pro marcha computatis, per manus venerabilium et discretorum virorum magistri Felisii, thesaurarii, et domini Symonis, cananici ecclesie supradicte. Quam sterlingorum summa nos recepisse ab eis confitemur et nobis integre numeratam esse. In cujus rei testimonium, sigilla nostra duximus presentibus apponenda. Actum anno Domini M° CC° LX° quarto, prima die veneris post festum Nativitatis beate Virginis.

In cujus rei testimonium, presenti transcripto sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Trecas, anno Domini M° CC° LXX° tertio, die mercurii ante festum beati Martini hyemalis. — *Origin.*

41. — Novembre 1264. — « Unes lettres, sous les seaulx d'abbé et couvent de Monstier-la-Celle, de certaines acquisitions faictes pour l'église, en leurs censives, depuiz la fondacion d'icelle jusques à la Toussains à compter de la

date d'icelle. Données l'an mil CC LXIIII, novembre. » — *Invent.* de 1399.

42. — 1264. — « Unes petites lettres de quittance, soubz le séel de frère Felix, ministre de Monstier-la-Celle, comment il confesse avoir reçu des commis à acheter rentes pour la fondacion de l'église C et XX livres pour les lots et ventes de plusieurs acquets faiz en leur censive. Données l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

43. — Décembre 1264. — « Officialis Trecensis » il notifie que « nobilis vir Egidius, miles, dominus de Barbereio et domina Johanna, uxor ejus.. vendidisse et nomine venditionis quitasse imperpetuum Johanni Garsie.. Theobaldo de Acenayo.. et Martino bone memorie domini Urbani, quondam pape quarti, procuratoribus (*ut supra* n. 16) pro pretio XXXV librarum bonorum et legalium pruviniensium fortium » payées comptant « III obolos annui et perpetui census portabilis laudes et ventas.. in medietate prati quam dicti procuratores emerunt a Julioto de Sezannia; quod pratum situm est in praeria de Ponte S. Marie et continet circiter triginta duas falcatas prati et nominatur *la Gravière*.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense decembri. » — *Origin.*

44. — 1264. — « Deux lettres, soubz le séel de la court l'official de Troies : l'une de XL s. VI d. de menuz cens portans los et ventes ; et l'autre de XXVIII autres deniers de menus cens, achetez, parmi le prix de LXIII livres, de messire Hugues de Putemonoie, chevalier, et sa femme, à prendre chacun an à la Saint-Remy sur plusieurs personnes, maisons et autres héritages, assiz tant ou bourc Saint-Jaques, emprès Sainte-Savine, en la paroisse de Saint-Aventin, et en la Tannerie, comme autre part. Données l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

45. — 1264. — « Une lettre, soubz le séel de la court l'official de Troyes, de l'achat de XVII s. VI d. de menuz cens, achetez, parmi le prix de X livres, de Guiot de Viaspre, escuier, et sa femme, c'est assavoir XII d. sur une pièce de pré assis aus molins aus Mons que tenoit Colot, fils de feu Girard d'Isles; et le demeurant à prendre sur plusieurs maisons assises en la rue des Buchettes. Données l'an mil CC LXIIII. » *Invent.* de 1399.

46. — 1264. — « Une lettre, soubz le séel de la court l'official de Troyes, de l'achat fait parmi le prix C XX livres, de messire Girart de Besançon, chevalier, et sa femme, d'une maison ainsi comme elle se comporte des la rue Saint-Jehan jusques à la rue du Temple. Donnée l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

47. — 1264. — « Une lettre, soubz les seaulx de abbesse et couvent de la Piété lez Rameru, de la vendicion par elles faites, parmi le prix de CXL livres, de la terre, et hommes, et femmes, et autres droits quelles avoient es villes et finages de Chamay, et de Enreu, et illec environ. Donnée l'an mil CC LXIIII. Messires Gaultier de Chappes approuve, l'an mil CC XLIIII, la donation de ces biens, faite par sa femme à la Piété; et en l'an mil CC XCVIII, Andreaux, chevaliers, sires de Saint Fale, amortit aus dictes religieuses de la Piété tout ce que elles avoient à Chamay mouvent de son fié. » — *Invent.* de 1399.

48. — 1264. — « Une lettre soubz le séel de la court l'official de Troyes, faisant mencion de l'achat de XIII muiz d'avoine à prendre sur la grange des dismes à Romilly. Données l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

49. — 1264. — « Deux lettres, l'une soubz le séel de la court l'official de Troyes, et l'autre soubz le séel de la court l'official de Senz, faisant mencion de l'achat de la tierce partie du terrage que l'église prent ou finage d'Origny, ou lieu dit Glanne-pendue. Données l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

50. — 1264. — « Une lettre, soubz le séel de la court l'official de Troyes, faisant mencion de l'achat fait, parmi le prix de CXXX livres, pour l'église, de VI l. X s. VI d. de censives portans los et ventes, venduz par Guillaume de Dompmartin, escuier, et sa femme, à prendre sur certains estaux assis en la Poisonnière de Troyes. Données l'an M CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

51. — 1264. — « Une lettre, soubz le séel de la court l'official de Troyes, de l'achat fait, parmi le prix de CXX livres, de Jehan Garnier de Dijon, et sa femme, d'une maison assise en la rue du Temple tenant à la maison Jehan le Marrenier, d'une part, et la maison de Saint-Urbain qui fut Lallement, d'autre part. Donnée l'an mil CC LXIIII. » — *Invent.* de 1399.

52. — Janvier 1264 *(v. st.)*. — « Girardus dictus de Ancheto, et Guido de Alneto, canonici et camerarii S. Stephani Trecensis » déclarent avoir reçu de « Johanne Garsie, concanico nostro; Theobaldo de Acenaio, cive Trecensi ; et magistro Martino, procuratoribus fabrice ecclesie S. Urbani Trecensis, XX l. turonensium pro laudibus et ventis domus dicte de *Gifaumont*, ecclesie S. Urbani vendite.. Datum anno Domini M° CC° LX° quarto, mense januario. » — *Origin.*, *avec les deux sceaux.*

53. — 24 septembre 1265.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano, et canonicis ecclesie Sancti Urbani Trecensis, tam presentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum. Etsi universe orbis ecclesie Apostolice Sedis, que disponente Domino super ipsas ordinarie potestatis obtinet principatum, subesse noscantur, aliquas tamen interdum de sue authoritatis plenitudine Sedes eadem specialiter sibi subdit, sic eas a cujuslibet alterius jurisdictione prorsus eripiens, ut nullum nisi solum Romanum Pontificem superiorem et Dominum recognoscant, constituendo ipsas quodam singulari privilegio liberas penitus et exemptas. Unde felicis recordationis Urbanus Papa, predecessor noster, ad ecclesiam Sancti Urbani Trecensis, que in fundo sive solo sue paterne domus est ecclesie Romane constructa sumptibus et dotata, specialem gerens affectum, et volens ut sicut ipsius predecessoris erga eam in dilectione abundabat gratia, sic exhuberaret in opere circa ipsam, providit singularibus illam privilegiis plenisque libertatibus insignire, ut cum magis Apostolico suffulta favore fuerit, ea amplius circa prefatam Sedem devotione concrescat. Verum idem predecessor morte preventus, quod super hoc in affectu gerebat perducere non potuit ad effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, nos hujusmodi ejusdem predecessoris propositum attendentes, ac aliqua de

iis que preordinaverat exequentes, predictam Sancti Urbani secularem ecclesiam in jus et proprietatem beati Petri et predicte Sedis assumimus, et presentis scripti privilegio communimus, ab omni jurisdictione, potestate ac dominio tam episcopi Trecensis, et archiepiscopi Senonensis, qui pro tempore fuerint, quam cujuslibet alterius prelati ceu ecclesiastice persone, illam totaliter et perpetuo eximentes : ita quod nec idem episcopus et archiepiscopus, nec quevis alia persona ecclesiastica eam utpote prorsus exemptam, vel personas, seu canonicos ipsius ecclesie, sive clericos ejus qui continue in divinis officiis servierent in eadem, aut servientes personarum et canonicorum predicte ecclesie, qui tanquam ipsorum familiares domestici eorum obsequiis morabuntur, interdicere, suspendere, vel excommunicare valeat, seu quomodocumque alias in prefatam ecclesiam, et predictos vel eorum aliquem, potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere : et si contra forte presumptum fuerit, sit omnino vanum, irritum et inane. Porro, ut numerus personarum in eadem ecclesia Domino famulantum ipsius facultatibus proinde coaptetur, duodenarium canonicorum numerum cum decano, cantore, thesaurario, quos in hujusmodi numero computari volumus in ecclesia predicta presentium authoritate statuimus, et quod collatio prebendarum, thesaurarie et cantorie in ea pertineat ad decanum, precipientes ut ecclesia ipsa predicto numero sit contenta, et districtius inhibentes ne aliquis in illa ultra numerum

ipsum in canonicum admittatur absque speciali licentia Sedis ejusdem, faciente plenam et expressam de statuto et inhibitione hujusmodi mentionem. Nos enim irritum et inane decernimus, si secus a quoquam fuerit attemptatum. Statuimus etiam ut decanus predicte ecclesie ab ejus canonicis eligatur, et presentetur ipsius electio Romano Pontifici confirmanda per eum : sed nichilominus interim ante suam confirmationem, si concorditer electus fuerit, in spiritualibus et temporalibus, ne forte incurrat in his ecclesia ipsa dispendium, administret : sic tamen ut de rebus illius nichil penitus alienet. Verumtamen infra sex mensium spatium, postquam electus fuerit a canonicis, confirmatio electionis ejusmodi ab eodem Romano Pontifice postuletur. Quod si forte neglectum fuerit, ex tunc eisdem canonicis eligendi alium idoneum in decanum libera sit facultas. Decanus autem, postquam confirmatus fuerit, successive ad omnes Ordines statutis temporibus teneatur facere se promoveri, et ad continuam residentiam in eadem ecclesia faciendam, super quibus ipse in confirmatione sua prestet coram dicto Romano Pontifice, vel coram illo cui dictus Romanus Pontifex hoc, vel confirmationem hujusmodi commiserit, corporaliter juramentum, et nichilominus postquam redibit ad dictam ecclesiam, electionis sue confirmatione obtenta, super confirmatione sua et prestatione hujusmodi juramenti litteras testimoniales ipsius Romani Pontificis, vel illius cui dictus Romanus Pontifex confirmationem electionis sue commi-

serit, capitulo ecclesie predicte reportet. Liceat autem sibi duobus mensibus, annis singulis, extra dictam ecclesiam pro suis negotiis moram facere, et si eum pro negotiis ejusdem ecclesie de licentia ipsius capituli interdum abesse contigerit, propter hoc absens minime reputetur. Ordinamus quoque ut tu, fili decane, et successores tui circa spiritualia predicte ecclesie, et habeatis plenam curam, et in illius personas, canonicos, clericos et ministros ac eorum servientes, sive clerici fuerint, sive laici, tanquam vobis subditos spiritualem jurisdictionem, ita quod in eos censuram ecclesiasticam valeatis libere exercere, et nullus alius jurisdictionem et censuram hujusmodi sibi in predictos quomodolibet vendicare presumat. Sane a vobis et successoribus vestris eligatur unus prepositus sive camerarius annuatim, qui omnium temporalium ejusdem ecclesie curam gerat, ac redditus et proventus ipsius colligi faciat et conservet distribuendo proportionaliter per eum inter canonicos et personas ecclesie memorate, ita quod decanus duas, thesaurarius vero et cantor, videlicet uterque eorum, unam et dimidiam ex reditibus et proventibus hujusmodi percipient portiones. Et ne predicata ecclesi debitis obsequiis defraudetur, volumus et statuimus quod portio ex hujusmodi reditibus et proventibus assignetur tantum illis canonicis et personis, qui personalem residentiam fecerint, et interfuerint horis canonicis in ecclesia memorata, ea servata forma quod in singulis horis hujusmodi juxta taxationem predictorum

decani et capituli certum quid ex predicta portione presentibus assignetur. Absentes vero persone et canonici et presentes etiam, nisi pro tempore qno interfuerint horis predictis, portionem non recipiant supradictam, nisi forte absentes tali detineantur debilitate vel infirmitate, quod non possint in dicta ecclesia commode deservire, aut alia juxta causa et legitima excusentur. Sed et absentes de licentia predictorum decani et capituli apud Sedem Apostolicam pro negociis ipsius ecclesie, aut si in peregrinatione fuerint, vel in scholis, tunc ac si essent presentes, integre suam percipiant portionem. Hujusmodi autem prepositus sive camerarius rationem administrationis sue reddat in presentia dictorum decani et capituli bis in anno. Et si facultates predicte ecclesie adeo excreverint, quod singule portiones summam annuam quinquaginta librarum Turonensium, qua singulos canonicos dicte ecclesie annuatim volumus esse contentos, possint excedere, illud quod superfuerit de hujusmodi summa fideliter conservetur in possessiones pro predicta ecclesia, vel alias utilitates ipsius ecclesie, per dictos decanum et capitulum totaliter convertendas. Ad hec liceat vobis Xpisma, et Oleum Sanctum, Consecrationes altarium predicte ecclesie, Ordinationes quoque clericorum vestrorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, petere ac recipere a quocumque malueritis catholico episcopo, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si

forte a Trecensi episcopo, qui erit pro tempore hoc, postulaveritis, et receperitis, nichil omnino juris propter hoc seu jurisdictionis, dominii, aut potestatis, idem episcopus vel ecclesia Trecensis in vobis sibi vindicet vel aquirat, nec ex eo materiam vel occasionem seu causam prescribendi aliquam contra vos possit sumere vel habere. Statuimus insuper ut in ipsa Sancti Urbani ecclesia fiat quotidie in Missarum solemniis commemoratio de predicto predecessore, ipsius suppresso nomine ; et pro Romano Pontifice, preterquam in precipuis festivitatibus, oratio specialis ; necnon pro Romanis Pontificibus defunctis Missa ibi semel ad minus in hebdomada celebretur. Ad indicium autem hujusmodi percepte a Sede Apostolica libertatis, memorata ecclesia Sancti Urbani unum obolum aureum in festo Omnium Sanctorum persolvat nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat predictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed ea omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, prefate Sedis authoritate in omnibus semper salva. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre exemptionis, reservationis, constitutionis, ordinationis, prohibitionis, et concessionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione

correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhu Xpisti aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni ; cunctis autem eidem ecclesie jura servantibus sit pax Domini nostri Jhu Xpisti, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. *Cercle concentrique*, *au milieu* : SCS Petrus, SCS Paulus, Clemens PP, IIII. *Légende :* Oculi mei semper ad Dominum. *Monogramme* : Bene valete. Ego Clemens, catholice Ecclesie episcopus, suscripsi ; † ego Stephanus, Prenestinus episcopus ; † ego Fr. Joannes, Portuensis et Sancte Rufine episcopus ; † ego Radulphus, Albanensis episcopus ; † ego Henricus, Ostiensis et Velletrensis episcopus ; † ego Ancherus, titulo Sancte Praxedis presbyter cardinalis ; † ego Guillelmus, titulo Sancti Marci presbyter cardinalis ; † ego Fr. Ambaldus, basilice XII Apostolorum presbyter cardinalis ; † ego Ottavianus, Sancte Marie in via lata diaconus cardinalis ; † ego Joannes, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis ; † ego Jacobus, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis ; † ego Gothfridus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ; † Ego Ubertus, Sancti Eustachii diaconus cardinalis ; † ego Jordanus, Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis. Datum Perusii, per manum magistri Michaelis, sancte Ro-

mane ecclesie vicecancellarii, VIII kalendas octobris, indictione VIIII, Incarnationis Dominice anno M° CC° LX° V°, pontificatus vero domini Clementis pape quarti anno primo. — Archiv. de l'Aube, *Original*. On trouve aussi le *transumptum* de cette bulle : 1° datum per copiam ex ordinacione curie Dierum Trecensium sub sigillo prepositure Trecensis, anno Domini M° CCC° XC° VIII°, die 17ª mensis septembris ; 2° *Vidimus* donné par l'official de Troyes le 16 août 1421, à la prière de Nicolas de Lintelles, doyen de Saint-Urbain, ibid. — *Nota*. Toutes les bulles accordées à la collégiale du vivant du cardinal Ancher portent au dos : *Dno Anchero* ou *Dnus Ancherus*.

54. — 30 septembre 1265.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio A[nchero], tituli S. Praxedis presbytero cardinali, salutem et Apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Urbanus papa, predecessor noster, ad sanctum Urbanum gerens specialis devotionis affectum, in ipsius sancti honore quamdam ecclesiam in civitate Trecensi, in fundo sive solo sue paterne domus, ecclesie Romane sumptibus construi fecit pariter et dotavit, volens quod tu, post ipsius obitum, personatus et prebendas ipsius ecclesie S. Urbani conferres personis ydoneis, quoad viveres, juxta tue bone placitum voluntatis; verum, eodem predecessore morte prevento, confecte super hoc littere Apostolice non fuerunt. Nos itaque volentes, ut ejus-

dem predecessoris voluntas in hac parte totaliter observetur, tuis supplicationibus inclinati, ut personatus et prebendas predicte ecclesie S. Urbani, quotiens vacaverint, possis quoad vixeris conferre personis ydoneis, et tibi auctoritate presentium indulgemus, non obstante quod statuisse dicimur, ut collatio prebendarum, thesaurarie, et cantorie prefate ecclesie S. Urbani ad ipsum decanum pertineat, ad quem, post tuum obitum, illarum collationem juxta statutum hujusmodi volumus pertinere. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam concessionis nostre infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Perusii, II kal. octobris pontificatus nostri anno primo. — *Origin.* Le sceau était sur des fils de soie rouge et jaune.

55. — 30 septembre 1265.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Xpisto filio illustri regi Navarre salutem et Apostolicam benedictionem. Corde hilari meditantes quod pietatis operibus per Dei gratiam multipliciter es intentus, firmam et securam gerimus de tua serenitate fiduciam, ut quibuslibet tue terre ecclesiis et personis ecclesiasticis, sed illis precipue quas ad Romanam ecclesiam percipis immediate spectare, obtentu ipsius Ecclesie matris tue nostrique intuitu precaminis, benignus et benevolus op-

portuno tempore habearis. Sane felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster ad ecclesiam Sancti Urbani Trecensis, que in fundo seu solo sue paterne domus ecclesie Romane sumptibus constructa est et dotata, specialem dum viveret gerens affectum et volens ut sicut sua circa eam abundabat affectio, sic exhuberaret effectus operis erga illam, providit circa vite sue dies ultimos singularibus ipsam privilegiis, plenisque libertatibus insignire, ut quo magis Apostolico favore suffulta existeret, eo amplius circa prefatam Sedem speciali devotione concresceret et ferveret. Verum idem predecessor morte preventus quod super hoc gessit in animo perducere non potuit ad effectum. Nos itaque tandem suum in hac parte propositum attendentes, ac aliqua de iis, que idem super hoc preordinaverat, excerpentes, predictam Sancti Urbani ecclesiam in jus et proprietatem Beati Petri et predicte Sedis assumpsimus, eamque ab omni jurisdictione, potestate, et dominio tam diocesani quam metropolitani loci, quam cujuslibet alterius prelati, seu ecclesiastice persone totaliter et perpetuo duximus eximendam. Hinc est, fili carissime, quod nos dictam Sancti Urbani ecclesiam cupientes statum tranquillum et pacificum, divina propitiante clementia, tuoque cooperante potentia, obtinere, magnitudinem tuam affectuose rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum suadentes, generatim ad supradictam ecclesiam Sancti Urbani, pro divina et Apostolice Sedis, ac ejusdem

Sancti reverentia, oculum benignitatis dirigens, ipsam et personas ejus efficaciter commendatas habeas, et jura ejusdem ecclesie manuteneas et deffendas, ita quod predicta ecclesia Sancti Urbani, te protegente, possit in statum optate prosperitatis dirigi, et a lesionis incursu cujuslibet, Deo propitio, preservari; ac nos, qui hujusmodi preces tibi ex intimo cordis affectu dirigimus, excellentie tue proinde speciales gratias referamus. Datum Perusii, II kalendas octobris pontificatus nostri anno primo. — *Origin. scellé* sur cordes de chanvre.

56. — 21 octobre 1265. — « Clemens, episcopus, servus servorum Dei, universis Xpisti fidelibus.. Loca sanctorum omnium pia et prescriptia devotione sunt a Xpisti fidelibus veneranda.. Cupientes igitur ut ecclesia S. Urbani Trecensis, quam felicis recordationis Urbanus papa, predecessor noster, in solo seu fundo patrimonii sui, de bonis ecclesie Romane fecit construi pariter et dotavit, congruis honoribus frequentaretur, omnibus vere penitentibus et confessis qui ecclesiam ipsam in die in quo majus altare ipsius ecclesie dedicabitur venerabiliter visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi XL dies de injuntis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.. Datum Perusii, XII kal. novembris pontificatus nostri anno primo. » — *Origin. scellé* sur fils de soie rouge et jaune.

57. — 28 octobre 1265. — « Clemens, episcopus, servus servorum Dei, universis Xpisti fidelibus.. Is de cujus munere venit.. Cupientes igitur ut ecclesia S. Urbani Trecensis (*ut supra* n. 56) in festo ipsius sancti venerabiliter visitaverint.. unum annum et XL dies de injunctis sibi penitentiis,

singulis misericorditer relaxamus. Datum Perusii, V kal. novembris pontificatus nostri anno primo. » — *Origin.*

58. — Compte de 1264-1266

Recepta post mortem domini Manasseri

X^{m} marcas argenti ex una parte. Et fuit excambita quelibet marca pro LVIII s., exceptis tribus millibus et centum marchis, quarum quelibet marcha fuit excambita LVIII s. VI d.

Summa omnium predictarum marcharum XXIX^{m}LXVII l. X s.

De ista summa retinuerunt mercatores III^{m}VII^{c} l. turonensium, quibus deductis de dicta summa marcharum, remanet XXV^{m}III^{c}LXXVII l. X s.

Et huic summe adjunctis VIII^{c} l. que remanserunt de recepta domini Manasseri et fuerunt deposite apud Sanctum Paulum, de quibus fit mentio in compoto domini Manasseri, et est totalis recepta post mortem domini Manasseri XXVI^{m}CLXXVII l. X s.

De hiis expensa fuerunt per manus dominorum Roberti et Stephani XI^{m}VI^{c}VII l. quarum expensarum partes continentur in quaterno expensarum suarum (1).

Item expensa sunt per magistrum Johannem et Theobaldum de Acenayo in pertinentibus ad fabricam, ultra illud quod expensum fuit per dominum Robertum et Stephanum XII^{c}XLIIII l. XII s.

(1) Ce cahier est perdu.

Et ecce partes :

Michaeli de Remis, pro stangno	LXXII l. XVI s.
Jacobo de Sezannia, pro plumbo	LX l.
Item eidem, pro plumbo	XX l.
Item Petro Humbaut de Remis, pro cupro	IX^{xx}XIIII l. XI s.
Item Petro de *Maalai*, pro cupro	LXX l.
Item eidem Petro, pro cupro	IIII^{xx}VI l. VII s.
Item Girardo de *Ronnay*, pro quodam ferineo	C s.
Item Jaqueto de Sezannia, pro plumbo	XXIX l. XV s.
Item eidem, pro plumbo	XX l.
Item eidem, pro plumbo	XL l.
Item eidem et socio ejus	XL l.
Fratri Rogero de *Perchoy*, pro marreno	XXIX l.
Mileto de Remis, pro stangno	IIII^{xx}VII l. X s.
Item pro argento brachii sancti Urbani	XXVI l. III s.
Item Jacobo de Sezannia, pro plumbo	C l.
Item Guillermo *le Fagoteur*, pro plumbo	IIII^{xx}X l.
Item pro locatione cujusdam granchie	XXX s.
Item *pour change de monoie*	XII l.
Item pro sedibus et nemore quas solvit dominus Robertus.	CCLX l.

Item expensa fuerunt per magistrum Johannem et Theobaldum de Acenayo, ultra illud quod expensum fuit per dominum Robertum et Stephanum, in redditibus emendis et in pertinentibus ad redditus XI^{m}V^{c}LXIIII l.

et ecce partes :

Theobaldo de Roseriis (*supra* n. 17)	V^{c} l. C s.
Item Petro Raso (n. 39)	IX^{xx} l.

Jehanni *Fromont* (n. 20)	XIII^{c} l.
Hugoni *Putemonoie* (n. 44)	LXIII l.
Magistro Renardo (n. 32)	CL l.
Theobaldo de Acenayo (n. 19)	III^{c} l.
Theobaldo de *Broies*	IX^{c}L l.
Guioto *Bergier* (n. 36)	II^{c}LX l.
Girardo *le Berruier* (n. 30)	XVI l.
Domino Simoni de Mereyo (n. 31)	II^{c}IIII^{xx}V l.
Domino Droconi de Logia (n. 25 et 38)	III^{c}LXIIII l.
Jacobo *Lalemant* (n. 21)	III^{c} l.
Abbatisse de Pietate (n. 47)	CXL l.
Item eidem	XL s.
Johanni de Clarevalle, pro uno modio bladi (n. 24)	CXX l.
Domino de Barbereyo (n. 43)	XXXV l.
Garnero de *Dijon* (n. 51)	XI^{xx} l.
Domino Johanni de Insulis (n. 33)	XLVIII l.
Item eidem	VII l.
Abbati Monasterii Celle (n. 41-42)	CXXII l.
Bochino, fabro, pro domo (n. 16)	IIII^{xx}III l.
Bernardo de *Moncuc*	IIII^{c}LXX l.
Guioto Faveri de Via Aspera (n. 45)	X l.
Item Johanni de Claravalle, pro theloneo bestiarum (n. 23)	CXX l.
Item domino Arceyarum	C l.
Seier de Fontanis (n. 34)	XX l.
Juliot de Sezannia (n. 37)	IIII^{xx} l.
Item Theobaldo de Acenayo (n. 22)	C l.
Thesaurario Laudunensi et fratri suo (n. 29)	IX^{c}L l.
Petro *le Saunier* (n. 18)	VIII^{c} l.

Guillelmo de Dompno Martino (n. 50) CXXX l.
Camerariis Sancti Stephani (n. 52) XX l.
Domino Gerardo de *Besençon* (n. 46) III^{c}XX l.
Pro nova domo (n. 28) XIIII^{c} l.
Priori de Malo Nido CX l.
Magistro Ludovico III^{c}IIII^{xx}X l.
Petro Baptizato C s.
Guillelmo de *Verdun* (n. 35) LII s.
Nicholao de Sancto Georgio, pro scriptura LX s.
Domino Herberto, capellano Sancti Petri XL s.
Johanni, clerico de Chableiis, pro domo empta pro magistro Martino XX l.
De redditu de *Orviler* per magistrum Johannem Fabrum XL l.
Priori de *Saint Come*, pro via de *Verzelay* XL s.
Pro domibus reparandis emptis IX^{xx}XI l. XVIII s. VI d.
Pro litteris sigillandis VII s.
Pro mutuo *Effichaut* pro domo sua C s.
Item pro litteris, scilicet pro litteris Jacobi de Divione XV s.
Item Morello pro quatuor viis apud *Rumilley* XLVII s. VI d.
Hugoni de *Vileanrieux* pro una quercu XL s.
Theobaldo de Acenayo pro laudibus et ventis et mortificatione census domus Garneri de Divione LX l.
Item magistro Ludovico pro via Rome IIII^{xx} l.
Et hec ante combustionem ; post combustionem vero
Magistro Johanni Fabro IX^{xx}V l.
Item per magistrum Guillelmum, carpentarium XXXII l.

Item magistro Ludovico pro segetibus falcandis XX l.
Item magistro Johanni Fabro C l.
Item eidem XL l.
Item eidem XL l.
Item eidem II^{c} l.
Item eidem et canonicis II^{c} l.
Residuum vero pecunie
penes mercatores $\text{XIII}^{c}\text{LXI}$ l. XII s.
quas habuerunt canonici Sancti Urbani.
Item habuerunt canonici Sancti Urbani
a magistro Johanne Garsie $\text{II}^{c}\text{XVIII}$ l. X s.
Item habuerunt canonici a Domo Dei Comitis LX l.
Item habuerunt a magistro Felicio L l.
Item habuerunt a magistro Martino XXV l.
Item habuerunt a Johanne Fromundi XXV l.

Item habuerunt ab eodem magistro Johanne, ultra compotum, XXII l. turonenses de venditione domus quam vendidit dominus Manasserus. Item recepit ab abbate Arremarense LX l. turonensium pro cupro.

Item impignoraverunt Crucem sanctam et calicem aureum pro CXIII l. et plus turonensium. Item pelves argenteos. Item vendiderunt cuppam ad portandam corpus Xpisti, et duos potos argenteos.

Origin. — *Au dos :* Dno Anchero cardinali. Recepta post mortem Manasseri.

59. — Avril 1265 (*v. st.*) — « Johannes dictus de Brueriis, decanus ecclesie S. Urbani Trecensis » notifie que la collégiale de Saint-Urbain choisit « dilectum concanonicum

nostrum magistrum Johannem dictum Fabrum » pour l'établir « procuratorem in omnibus et singulis causis et negotiis que et quas habemus et habituri sumus pro dicta ecclesia, coram quibuscumque judicibus, contra quascumque personas. Damus etiam eidem procuratori plenariam potestatem et mandatum speciale agendi pro nobis.. per presentes litteras sigillo nostro et sigillo abbatis monasterii S. Lupi Trecensis sigillatas. Datum anno Domini M° CC° LX° quinto, mense aprili. » Tiré d'un *Vidimus* donné par « Philippus, rector ecclesie S. Martini Trecensis » subdélégue du doyen de Laon, défenseur Apostolique de Saint-Urbain. — *Origin.*

60. — 7 juin 1266. — « Philippus, rector ecclesie S. Martini Trecensis » subdélégué du doyen de Laon, « judicis sive conservatoris pro capitulo ecclesie B. Urbani Trecensis, a domino papa deputati » se transporte à l'abbaye de Notre-Dame-aux-Nonnains et « in pleno choro » il cite les religieuses à comparaître à son tribunal « in prioratu S. Johannis in Castro, ad diem sabbati post festum B. Barnabe, apostoli (12 juin), ut ipse quemdam stipium ferreum, quem deportasse vel deportari fecisse per violentiam ab ecclesia S. Urbani, cum lapidibus et collumpnis dicuntur, eidem capitulo redderent ; et injurias ab eisdem monialibus illatas eidem capitulo emendarent.. In dicto choro, anno M° CC° LX° sexto, die lune ante festum sancti Barnabe. » Cette citation se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

61. — 1er octobre 1266. — « Bulles du pape Clément quart *Per execrabilem insolentiam..* pour citer par devant l'arcediacre de Luxu et le doyen de S. Estienne plusieurs religieuses de Nostre-Dame et autres personnes leurs complices qui avoient fait plusieurs grans excès en la dicte eglise. — *Invent.* de 1399. Cette bulle se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

62. — 1er octobre 1266.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, archidiacono de Luxovio in ecclesia Bisuntina, et decano ecclesie S. Stephani Trecensis, capellanis nostris, salutem et Apostolicam benedictionem. Tanquam predilectam Sedis Apostolice sobolem habentes dilectos filios decanum et capitulum ecclesie S. Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, in paterne visceribus charitatis ecclesiam eorum exemptionis pleneque libertatis ex mera liberlitate duximus privilegio muniendam. Et ut semper de ipsis virtutum aromata sentiremus benignis meritis devotionem eorum curavimus exhortari, ut sub convertione laudabili et divinis laudibus insistentes apud eamdem ecclesiam sine dilatione convenirent in unum ; et utentes in Xpisti nomine universis libertatibus in privilegio predicto contentis, statuta et ordinationes in ipso expressa inviolabiliter observent, necnon divina officia devota mente celebrare curarent. Cum autem id cordi nobis existat, dictos decanum et capitulum duximus et hortandos, per iterata scripta mandantes ut juxta pium nostrum desiderium, quod in hac parte gerimus, ad laudem divini nominis et ecclesie memorate decorem, sollicitis premissa curarent studiis adimplere, juxta presentium continentiam litterarum. Quocirca, discretioni vestre per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus omnes illos qui prefatis decano et capitulo

impedimentum prestiterint in premissis, ac eos qui causam impedimenti prestantibus impenderint ad hoc consilium, auxilium vel favorem, quod ab impedimento, auxilio vel favore hujusmodi omnino desistant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, vos.. compellere procuretis, nonobstantibus si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede indultum existat, quod excommunicari vel interdici nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia de qua ejusque toto tenore de verbo ad verbum fieri debeat in nostris litteris mentio specialis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Viterbii, kalendis octobris, pontificatus nostri anno secundo. — *Tirée de la notification originale de cette bulle* anno Domini M° CC° LX° sexto, die mercurii post festum B. Clementis. — *Origin.*

63. — 8 novembre 1266. — « Richardus de *Vaulgrenant*, archidiaconus de Luxovio et scolasticus in ecclesia Bisuntina » mande au doyen de Saint-Etienne de Troyes de citer les religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains, et leurs complices, à comparaître le 20 novembre dans l'église de Saint-Etienne pour rendre compte de leurs excès dans l'église de Saint-Urbain. — Cette pièce se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

64. — 23 novembre 1266. — « Stephanus, clericus, procurator abbatisse et monialium ecclesie B. Marie Trecensis » il déclare à l'archidiacre de Luxeuil et au doyen de Saint-

Etienne que les religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains recusent comme juge l'archidiacre de Luxeuil 1° parce qu'il est « de familia domini Ancheri, cardinalis, qui est patronus canonicorum S. Urbani, et nimis eis favens... ego dictus procurator Sedem Apostolicam in scriptis appello.. Die in festo B. Clementis. » Cette pièce se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

65. — 25 novembre 1266. — « Oda, abbatissa B. M. ad Moniales Trecenses, totusque conventus » déclarent en chapitre, devant l'abbé de Montiéramey, le prieur de Notre-Dame-en-l'Isle, le doyen de Saint-Etienne de Troyes, et l'archidiacre de Luxeuil, qu'elles consentiront l'arrangement qui sera réglé par eux, au sujet des différends avec Saint-Urbain, moyennant que cet arrangement sauvegarde de nombreux intérêts qu'elles énumèrent. « Anno Domini M° CC° LX° sexto, mense novembri, in festo B. Katerine. » — Cette pièce se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

66. — 9 janvier 1267.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, universis Xpisti fidelibus.. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes letabimur ante tribunal Xpisti, recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in Celis, firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam *qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet* vitam eternam.

Sane felicis recordationis Urbanus papa quartus, predecessor noster, quamdam in civitate Trecensi ad honorem beati Urbani pontificis et martyris fundari fecit ecclesiam, opere quamplurimum sumptuoso. Cum autem jamdicta ecclesia, propter ipsius predecessoris obitum, imperfecta remanserit et ob hoc ad consummationem ipsius fidelium subsidium sit non modicum opportunum, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur.. quatinus de bonis vobis a Deo collatis pias ad hoc elemosinas [...] ut opus hujusmodi valeat consummari. Nos de omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui usque ad consummationem hujusmodi operis ad hoc manum porrexerint adjutricem centum dies de injuctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii, V idus januarii, pontificatus nostri anno secundo. — *Origin.*

67. — 9 janvier 1267. — « Clemens, episcopus, servus servorum Dei, universis Xpisti fidelibus.. Splendor paterne glorie. » Le pape accorde à ceux qui visiteront l'église Saint-Urbain « in festo ipsius Martyris, unum annum et quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis » et à ceux qui visiteront l'église « septem diebus sequentibus festum ipsum immediate, totidem dies, annis singulis.. Datum Viterbii, V idus januarii, pontificatus nostri anno secundo. » - *Origin.* scellé sur soie rouge et jaune.

68. — 26 janvier 1267.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Monasterii Aremarensis, Trecensis diocesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum decani et capituli ecclesie Sancti Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit propositum coram nobis, quod licet Johannes Anglicus, civis Trecensis, crucesignatus, quondam magister fabrice ipsius ecclesie Sancti Urbani, de pecunia operi ejusdem fabrice deputata usque ad summam duorum millium et quingentarum librarum Turonensium receperit, Johannes dictis decano et capitulo de hujusmodi summa pecunie rationem reddere indebite contradicit. Cumque predicti decanus et capitulum eundem Johannem, super hoc, autoritate litterarum Sedis Apostolice, coram thesaurario ecclesie Sancti Johannis Laudunensis traxissent in causam, venerabilis frater noster Trecensis episcopus asserens quod crucesignatis regni Francie a Sede est indultum eadem, ut quamdiu parati fuerint coram ordinariis suis de se conquerentibus respondere, convenire non possint per litteras Sedis ipsius que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, ad instantiam ipsius Johannis thesaurario predicto inhibuit ne in causa procederet memorata, sicque idem thesaurarius cause hujusmodi supersedit. Quare predicti decanus et capitulum nobis humiliter sup-

plicarunt ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus si tibi de plano et sine strepitu judicii constiterit ita esse, predictum civem, quod eisdem decano et capitulo de predicta pecunia rationem reddat et nichilominus restituat eidem quod de predicta summa non constiterit in utilitatem predicte ecclesie Sancti Urbani legitime fuisse conversum, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas; non obstantibus indulto hujusmodi seu processu habito coram thesaurario dicto; dummodo coram eo non sit ad litis contestationem privilegium sive indulgentia dicte Sedis qua clericis et laïcis civitatis Trecensis dicitur esse concessum, ut extra civitatem ipsam trahi non possint in causam per litteras Sedis, ipsiusque de indulgentia hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii, VII kal. februarii, pontificatus nostri anno secundo. *Au dos est écrit :* Contra Johannem Anglicum qui debet reddere rationem de II^{m} et V^{c} lib. — Abbas Arremarensis judex. — *Origin. scellé* sur cordes de chanvre.

69. — 31 janvier 1267.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo S. Urbani Trecesis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem et Apostolicam benedictionem. Personas et ecclesiam

vestras tanto nec mirum potiori favore prosequimur quanto specialius Apostolice Sedi noscimini subjacere. Unde cum in eadem ecclesia dicatur esse statutum ut singulis diebus in missarum sollempniis inibi pro Romano pontifice oratio specialis et qualibet ebdomada pro Romanorum pontificum hujusmodi sollempnia celebrentur, nolentes ut tantum obsequium quavis occasione decrescat, devotioni vestre auctoritate presentium indulgemus ut generalis tempore interdicti liceat vobis, januis clausis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici.. Nulli ergo (*ut supra* n. 54). Datum Viterbii, II kal. februarii, pontificatus nostri anno secundo. — *Origin. scellé* sur fils de soie rouge et jaune.

70. — 2 février 1267.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Autissiodorensi salutem et Apostolicam benedictionem. Decens et debitum arbitramus ut dilectis filiis decano et capitulo S. Urbani Trecensis eo benignius favorem Apostolicum impendamus, quo ipsa ecclesia nobis et Apostolice Sedi specialius subesse dinoscitur, utpote per manum dicte Sedis erecta, etiam et dotata. Quare, dictorum decani et capituli supplicationibus inclinati, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus,

quatinus apud eamdem ecclesiam ad opus canonicorum et clericorum ejusdem ecclesie, suorumque familiarium decedentium, cimeterium benedicas, jure ceterarum ecclesiarum in omnibus salvo, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante si aliquibus a Sede sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas que de hoc plenam et expressam, seu de verbo ad verbum, non fecerint mentionem. Datum Viterbii, IIII nonas februarii, pontificatus nostri anno II. — *Origin.*

71. — 1267. — « Une lettre soubz le séel de la court l'official de Troies, de IIII d. de censives portant los et ventes que donna à l'église Adam Langlois à prendre sur certaine maison assise en Croncels aux Terrasses, que souloit nagaires avoir tenue Jehan de Besançon, et aprésent la tient Perrin li Bellaust à cause de sa femme. Donnée l'an mil CC LXVII.

72. — 15 juillet 1268. — « Bulle de Clément IV *Quamvis nos* contre les religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains qui ont empêché la bénédiction du cimetière de Saint-Urbain. — *Origin. scellé.* Cette bulle se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

73. — 12 octobre 1268. — « Les délégués Apostoliques notifient la bulle précédente, et citent les religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains à comparaître le lendemain de la Saint-Martin d'hiver (12 nov.) dans l'église de Saint-Etienne à Troyes. — *Vidimus* de 1272. Cette citation se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

74. — 26 octobre 1268.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Xpisto filio illustri regi Navare, salutem et Apostolicam benedictionem. Illustribus et presertim regia dignitate preditis illa vigere debet constantia firmitatis, ut quicquid ab eis consulte conceditur, perpetuis temporibus firmum ac stabile habeatur : sed tunc precipue quando ipsi ad ea percifienda suum pie inclinant animum, per que non solum humane laudis preconium eis provenit ; sed et nominis claritas ac benedictionis perpetue incrementum. Ex affectione siquidem pura, que inter te et felicis recordationis Urbanum papam, predecessorem nostrum, dum fuit sub nostre mortalitatis habitu, mutuo viguisse creditur, et devotione nimirum, quam ad Romanam ecclesiam teneris habere, processit, quod inductus Apostolicis precibus per litteras concessisti liberalitate regia et affabilitate benigna, ut in tuo feudo seu dominio ad opus ecclesie Sancti Urbani Trecensis, quam dictus predecessor in solo domus paterne fundari decrevit, et canonicorum ipsius ecclesie usque ad certam quantitatem possessiones et reditus emi possent. Cujus concessionis virtute, quod ad regiam redundabat famam et gloriam, jam aliquam partem redituum et possessionum hujusmodi se in dicto dominio acquisivisse gaudebant canonici memorati. Sed ecce, sicut mirantes audivimus, quamquam credere vix possumus,

aurum tue intentionis piissime ac illius sinceritatis, quam ad dictum predecessorem tua sublimitas habuisse cernitur, obscuratum esse videtur, et color optimus nimis subito immutatus, dum nescitur cujus consilio, an proprio vel forsan alieno, hujusmodi benigne concessionis litteras regii preconii contentivas, quas Johannes Garsie, canonicus Trecensis olim procurator ipsius ecclesie, sibi nomine dictorum decani et capituli commendatas, tibi fraudulenter asseritur tradidisse, detines; immo, quod est gravius, interdum illas, que tamen a tot fide dignis inspecte creduntur, quod vix poterunt absorberi, cassasse ac lacerasse in excusationem detentionis hujusmodi, quod nunquam in cor tanti principis ascendere debuit, diceris protulisse baillivo tuo Trecensi domos, possessiones et bona, que in eodem dominio ex predicta concessione acquisita fuerant pro ipsa ecclesia, excepta quadam grangia nomine tuo faciente saisiri; sicque pia dispositio predecessoris ejusdem, qui dum vixit interne brachio caritatis te prosecutus extitit, circa eamdem ecclesiam habita, defraudatur, ac nobis, qui affectum ipsius predecessoris in hac parte habitum deducere cupimus, quantum ex alto conceditur ad effectum, gravis irrogatur injuria; Romana ecclesia, mater tua, de cujus bonis illa fundamentum accepit, offenditur; ac honori regio, saluti et fame non modicum derogatur. Rogamus itaque celsitudinem regiam et hortamur attente, paterno consilio suadentes, quatinus circa dictam ecclesiam Sancti Urbani tam pro divina reverentia,

quam pro ipsius predecessoris memoria, et nostre persone intuitu, illum affectum benevolum, quem prius ad illam videbaris habere, continuans, prefatis canonicis liberaliter litteras, si extant, restituas memoratas : alioquin novas illis similes priorisque tenoris regali dextera largiaris, domorum, redituum et bonorum omnium ipsius ecclesie, que taliter fecit baillivus ipse saisiri, faciendo saisinam penitus amoveri, et ecclesiam in eorum tranquilla possessione dimitti, ac permittendo possessiones et reditus usque ad quantitatem promissam ad opus ipsius ecclesie comparari : preces nostras et salubre consilium in hac parte taliter impleturus, quod pateat per effectum operis te velle vacare actibus virtuosis, nosque, qui te ex intimo cordis affectu diligimus, regali magnificentie speciales proinde gratias referamus. Alias autem cum non sit deferendum homini contra Deum, quantumcumque regiam honorare magnitudinem proponamus, conniventibus non poterimus pertransire oculis, quin subveniamus eidem ecclesie Sancti Urbani de condigno presidio Apostolice potestatis. Non ergo, fili karissime, nostrum provoces in hac parte animum, cum te inter ceteros mundi principes, sincera diligamus in Domino karitate. Datum Viterbii, VII° kalendas novembris pontificatus nostri anno IV. — Martène, *Thesaur. anecdot.*, t. II, col. 208-209.

75. — 1268. — « Une lettre sous les seaulx du prieur et couvent de Beau Roy sur Aube, de II s. de censive, par

eulx venduz à l'église, portant los et ventes, que ilz prenoient sur une maison assize à Troyes en la rue du Bourc Neuf. Donnée l'an mil CC LXVIII. » — *Invent.* de 1309.

76. — 15 mars 1268 (*v. st.*). — « Unes lettres de sentences d'escommeniement soubz les seaulx de l'arcediacre de Luxu et le doyen de Saint-Etienne contre les religieuses de Nostre-Dame et leurs complices. Données l'an mil CC LXVIII. » — *Invent.* de 1399. — Cette sentence se trouve à sa date dans nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

77. — 13 janvier 1270.

Nos Hugo, comes Brene, Trecensis diocesis, notum facimus.. quod nos venditionem granchie que fuit Bernardi de Montecuco, quondam civis Trecensis, et appenditiorum ipsius granchie, olim per quemcumque factam decano et capitulo ecclesie S. Urbani Trecensis, vel procuratoribus eorumdem, ratam et gratam habentes intuitu et obtentu felicis recordationis domini Urbani, pape quarti, qui eam fundavit, et ex ea dotavit Ecclesiam, ac reverendi patris domini Ancheri, tituli S. Praxedis, presbiteri cardinalis, nepotis ipsius domini Urbani, reverentia, nostro et successorum nostrorum nomine confirmamus, et quicquid juris habemus.. imperpetuum quittamus.. Datum Viterbii, X° kalend. februarii, indict. XIII^a^, anno Domini M° CC° LXX°, ecclesia Romana pastore vacante. — *Origin.*

78. — 1270-1272. — « II autres lettres, soubz le séel de la court l'official de Troies, faisant mencion de l'achat du

demorant du terraige d'Origny, l'une donnée l'an mil CC LXX, et l'autre l'an mil CC LXXII. » — *Invent.* de 1399.

79. — Août 1273.

Henricus, Dei gratia rex Navarre, Campanie Brieque comes palatinus, omnibus hec visuris salutem in Domino sempiternam. Ad notitiam presentium et memoriam futurorum, sciant cuncti quod dominus Urbanus bone memorie pape quartus, natus de civitate Trecensi, in honorem beati Urbani, martyris, in ipsa civitate quamdam ecclesiam fundavit et erexit, certumque numerum canonicorum pro divinis officiis ibidem celebrandis statuit ac etiam ordinavit, et possessiones seu reditus pro dote ipsius ecclesie et pro reditibus assignandis canonicis ecclesie predicte emit, seu emi fecit et mandavit : sed quia quedam de illis reditibus et possessionibus site sunt in feudis, retrofeudis, seu allodiis nostris, censivis, justitiis ac aliis rebus undecumque moventibus, nec predicte possessiones acquiri ecclesie in perpetuum poterant seu ad usus ecclesie applicari, nisi super hoc noster intervenisset assensus : ideo reditus et possessiones predictas saisiri fecimus et saisitas detineri. Verumtamen licet predicte acquisitiones dictarum possessionum et reddituum in nostrum prejudicium non modicum verterentur, ducti consilio salutari, pro remedio anime nostre nostrorumque parentum, necnon etiam precibus inclinati sanctissimi patris D. Gregorii, summi Ponti-

ficis, ac venerabilis patris D. Ancheri, tituli Sancte Praxedis sacrosancte ecclesie Romane presbyteri cardinalis, nati de predicta civitate Trecensi et nepotis domini predicti Urbani, spiritualia etiam temporalibus preponentes, acquisitionibus factis predicte ecclesie de possessionibus seu reditibus situatis in feudis, retrofeudis, seu allodiis nostris, censivis, justitiis et aliis rebus undecumque moventibus, consentimus, et ipsas acquisitiones ratas et firmas habemus. Ita tamen quod predicte acquisitiones facte in feudis nostris et rebus aliis, ut predictum est, quantitatem CCC librarum turonensium annuatim in reditibus non excedant ; et si ipse acquisitiones non sufficiunt usque ad quantitatem predictam, volumus et consentimus quod in feudis, retrofeudis, et allodiis nostris, et justitiis, nomine predicte ecclesie emi possint possessiones et reditus usque ad quantitatem predictam : ita tamen quod feudum integrum nullatenus acquirant, promittentes per nos, successores heredesque nostros, ipsas in perpetuum ratas et firmas habere, necnon etiam in aliquo contra ipsas venire, seu etiam ipsarum quamlibet de cetero nullatenus contraire. Propter hoc autem predictus cardinalis, quantum in se est, nobis et successoribus nostris concessit et concedit collationem pro medietate prebendarum et dignitatum predicte ecclesie, cum eas vacare contigerit, ut nos et ipse ipsas vicissim conferamus, ita tamen quod nos primam collationem habeamus, et secundam predictus cardinalis, excepto decanatu qui ibidem

per electionem ordinatur. Placuit etiam nobis et dicto ipsi domino cardinali et inter nos expresse actum extitit et etiam concordatum, quod post decessum ejusdem cardinalis, decanus qui pro tempore fuerit in prefata ecclesia Beati Urbani Trecensis, et successores sui, una nobiscum et successoribus nostris habeant pro medietate collationem prebendarum et dignitatum, et nos et successores nostri, et ipsi et successores eorum, dictas prebendas et dignitates vicissim conferamus, sicut de nobis nostrisque succesoribus et dicto cardinali superius est expressum. Et in testimonium veritatis et rei geste, presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri impressione muniri. Datum et actum in civitate Trecensi, anno Domini M° CC° LXX° III°, mense augusti. — D'après un *Vidimus* donné par « Robertus, abbas Arremarensis.. anno Domini M° CC° LXX° tercio... »

80. — 17 mars 1274.

Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto nostro Anchero, Sancte Praxedis presbytero cardinali, salutem et Apostolicam benedictionem. In nostra proposuisti presentia constitutus, quod cum felicis recordationis Urbanus papa, predecessor noster, ad Sanctum Urbanum gerens specialis devotionis affectum, in ipsius Sancti honore quamdam ecclesiam in civitate Trecensi in fundo sive solo sue paterne domus ecclesie Romane sumptibus construi

fecisset, pariter et dotasset, volens quod tu, post ipsius obitum, personatus et prebendas ejusdem ecclesie Sancti Urbani conferres personis idoneis quoad viveres, juxta tue beneplacitum voluntatis: tandem, quia dicto predecessore morte prevento, super hoc Apostolice littere confecte non fuerant, pie memorie Clemens papa, predecessor noster, intendens ut memorati predecessoris Urbani in hac parte voluntas totaliter servaretur, tibi quod quoad vixeris personatus et prebendas ecclesie memorate, quoties vacaverint, possis idoneis conferre personis per suas duxit litteras indulgendum, nonobstante quod idem predecessor Clemens statuisse dicebatur ut collatio prebendarum, thesaurarie, et cantorie prefate ecclesie Sancti Urbani ad decanum pertineret ejusdem, ad quem, post tuum obitum illarum collationem juxta statutum hujusmodi nominatus predecessor Clemens voluit pertinere. Sane postmodum, inter te atque karissimum in Xpisto filium nostrum Henricum, regem Navarre, illustrem Campanie Brieque comitem palatinum, super eo quod ipse rex dicebat quod alique de possessionibus sive reditibus ex quibus prefata Sancti Urbani ecclesia erat dotata in suis territoriis, feudis, seu alodiis consistebat, et quod hujusmodi possessiones sive reditus, ad opus ipsius ecclesie Sancti Urbani, preter dicti regis assensum in illius prejudicium fuerant acquisite, orta est materia questionis. Demum rex ipse voluit liberaliter et concessit, quod acquisitiones quecumque de possessionibus et reditibus memoratis et in territoriis, feu-

dis, retrofeudis, seu allodiis antedictis, usque ad valorem annui reditus CCC librarum turonensium facte, aut etiam faciende, procedant libere ac suum omnino sortiantur effectum. Tu quoque postmodum, presentem ipsius ecclesie necessitatem et utilitatem inspiciens ac futuram, et ad promotionem utilitatis hujusmodi predicte ecclesie, regem ipsum suosque successores obligari desiderans, quantum in te extitit, concessisti, ut rex ipse suique successores qui fuerint pro tempore, prebendarum et dignitatum ejusdem ecclesie Sancti Urbani, excepto decanatu ipsius ecclesie, ubi decanum per electionem debere assumi statutum dicitur, pro medietate collationem futuris temporibus vicibus habeant alternatis. Collationem prebendarum et dignitatum hujusmodi tibi quandiu vixeris, et post te ipsius ecclesie decanis qui fuerint pro tempore, pro medietate reliqua remanente sicut in litteris inde confectis, dicti regis sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod factum est in hac parte ratum habentes et firmum, illud ex certa scientia authoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, dummodo, ipsa ecclesia feudis, retrofeudis, et aliis vicibus supradictis, quoad possessiones et alia premissa perpetuo sit libera et immunis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursu-

rum. Datum Lugduni, XVI kal. aprilis pontificatus nostri anno secundo. — *Origin.*

81. — 23 mars 1274. — « Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, decano S. Stephani Trecensis.. Sua nobis dilecti decanus et capitulum S. Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, petitione monstrarunt.. Parmi les excommuniés (n. 76) plusieurs demandent à être relevés de l'excommunication. Le chapitre de Saint-Urbain a demandé cette grâce au Saint-Siège « cum pro utilitate ipsius ecclesie S. Urbani, cum etiam pro salute querenda excommunicatorum ». Le pape mande d'absoudre parmi les coupables « omnes utriusque sexus volentes in hiis Ecclesie parere mandatis, exceptis clericis sive laicis qui principales fuerunt in predictis injectione manuum et aliis injuriis, quos mittas ad Sedem Apostolicam absolvendos, condigna satisfactione ab eis archiepiscopo Tyrensi, et decano et capitulo S. Urbani prius impensa.. Datum Lugduni, IX° kal. aprilis pontificatus nostri anno secundo. » — Cette bulle se trouve à sa date parmi nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

82. — 2 juillet 1274.

G. de Sancto Laurentio, camerarius et capellanus domini pape, viris religiosis et honestis abbatibus monasteriorum de Rippatorio ac Arremarensi, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, salutem in Domino. Cum jam dudum vobis litteris nostris dederimus in mandatis, ut, vocatis omnibus canonicis S. Urbani Trecensis, vice nostra nomineque nostro et venerabilis patris domini Ancheri, tituli Sancte Praxedis presbiteri cardinalis, audiretis rationes et

computationes a dictis canonicis de hiis que receperint et habuerunt pro fabrica ecclesie supradicte : nos, dictusque dominus cardinalis, rationes et computationes ab ipsis vobis factas recepimus, quas sub sigillis vestris inclusas nobis duxistis per certum nuntium transmittendas, circa quod obedientiam vestram et discretionem in Domino merito commendamus ; verum, quia dictis rationibus et computationibus a nobis dictoque domino cardinali auditis ac diligenter investigatis, ipsas confusas invenimus penitus et obscuras, eo videlicet quod dicti canonici immiscuerunt ea que receperunt de bonis et redditibus cum illis que receperunt pro fabrica ecclesie supradicte et posuerunt in ipsa ; sed quia domini cardinalis et nostre intentionis existit, ut de eis solummodo que receperunt pro fabrica dicte ecclesie et posuerunt in ipsa, rationes reddantur, vobis iterato scribimus precipiendo mandantes, quatinus coram vobis ex parte nostra vocetis, et sub pena excommunicationis compellatis, magistros Johannem Fabrum, Guillermum *Caym*, Jacobum Phisicum, Galterum *Bursaut* archidiaconum Sancte Margarite in ecclesia Trecensi, canonicos dicte ecclesie, ut solummodo rationes et computationes reddant de duabus millibus et quingentis libris turonensium, quas receperunt a magistro Johanne Garsie et Theobaldo de Acenayo et a quibusdam aliis, de residuo decem millium marcharum argenti, quas receperunt Johannes et Theobaldus predicti pro fabrica ipsius ecclesie supradicte, que de camera domini pape proces-

serunt ; ac etiam de quingentis libris turonensium a prefato domino cardinali pro fabrica ipsius ecclesie missis, quas recepisse dicuntur in pecunia numerata ; et rationes et computationes eorum sub sigillis vestris nobis dictoque domino cardinali fideliter rescribatis. Quod si facere noluerint, vel minus sufficienter rationes et computationes reddiderint, ipsos auctoritate nostra, ut de predictis sufficienter rationes et computationes reddant et plenarie satisfaciant, per censuram ecclesiasticam compellatis. Datum Lugduni, anno Domini M° CC° LXX° quarto, die lune post festum apostolorum Petri et Pauli, pontificatus domini Gregorii pape decimi anno tertio. — *Origin.*

83. — Août 1273.

Omnibus presentes litteras inspecturis frater Robertus, humilis abbas Monasterii Arremarensis, salutem in Domino. Noveritis quod dominus Henricus, Dei gratia illustris rex Navarre, et Brie comes palatinus, litteram confectam super concessione et approbatione possessionum quas ecclesia Sancti Urbani Trecensis acquisierat vel acquireret de cetero usque ad summam CCC libraium turonensium annui redditus in feodis, retrofeodis, censivis, justiciis et allodiis ejusdem regis, ac aliis quibuscumque rebus undecumque moventibus, prout in ipsa littera prefati domini regis sigillata sigillo plenius continetur, penes nos deposuit tali pacto seu lege : quod si dominus Papa a festo beati Remigii proxime venturo

usque ad unum annum vel antea per suas litteras bullatas dicto domino regi, heredibus et successoribus ipsius conferendi medietatem prebendarum et dignitatum in dicta ecclesia vacaturarum, excepto decanatu, contulerit potestatem, et hoc nobis constiterit evidenter, quod nos dictam litteram confectam super concessione et approbatione predictis venerabili patri domino Anchero, tituli S. Praxedis presbitero cardinali, vel ejus mandato, ex tunc reddendi et restituendi habeamus liberam facultatem, ut voluit dictus dominus rex ; quod nos habeamus et recipiamus possessionum predictarum presentis anni fructus, scilicet anni Domini M^{i} CC^{i} LXX^{i} tercii, et anni proxime sequentis usque ad festum beati Remigii quod erit anno Domini M^{o} CC^{o} LXX° quarto, et eos tradamus sub cautione ydonea dicto cardinali vel ejus mandato sub tali conditione : quod si dominus Papa dicto domino regi contulerit potestatem conferendi medietatem prebendarum, ut supra dictum est, remittetur cautio nobis facta, et fructus ipsi penes dictum cardinalem vel ejus mandatum libere remanebunt. Nos vero predictam litteram a dicto domino rege in deposito recepimus cum fructibus possessionum predictarum sub pacto seu lege et conditionibus supradictis, promittentes quod si dominus Papa infra dictum terminum per suas litteras bullatas dicto domino regi et successororibus ipsius regis conferendi medietatem predictarum prebendarum et dignitatum, excepto decanatu, contulerit potestatem, et hoc nobis constiterit evidenter,

nos dictam litteram confectam super concessione et approbatione predictis dicto domino cardinali vel ejus mandato ex tunc reddemus ac etiam restituemus. In cujus rei testimonium et munimen presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° LXX° tercio, mense augusto. — *Origin.*

84. — 1274. — « Unes lettres soubz le séel de l'abbé de Monstierarremé, comment il cognoist avoir reçu les lettres confirmatoires du pape Grégoire touchant la composetion faicte entre le roy de Navarre d'une part, et le cardinal Ancher d'autre. Données l'an mil CC LXXIIII. » — *Invent.* de 1399.

85. — 29 janvier 1274 (*v. st.*). — « Abbas Monasterii Arremarensis, judex sive executor a domino papa deputatus dilecto in Xpisto presbitero B. Marie Magdalene de Barro super Albam. » L'abbé de Montiéramé, chargé en vertu d'une commission apostolique (n. 14) de mettre les chanoines de Saint-Urbain en possession de la grange de Mauny, subdélègue le curé de Sainte-Madeleine, de Bar-sur-Aube, afin qu'il mette les chanoines susdits en possession d'une maison « sitam apud Barrum super Albam, in vico Courterie Equorum, ad domum seu grangiam de Malo Nido pertinentem.. Petrus dictus *Musaris* » de Bar-sur-Aube « minus juste et sine causa rationabili detinet » la maison de la rue de la Couterie.. commission d'évincer Pierre Musaris. » Datum die martis ante Purificationem B. Virginis anno Domini M° CC° LXX° quarto. » — *Origin.*

86. — 16 avril 1276. — « Innocentius, episcopus, servus servorum Dei.. universis Xpisti fidelibus.. Loca sanctorum omnium (*ut supra* n. 56) omnibus vere penitentibus et

confessis qui ecclesiam ipsam in die in quo majus altare ipsius ecclesie dedicabitur.. annum unum et XL dies de injuctis.. Datum Laterani, XVI kal. maii pontificatus anno primo. » — *Origin. scellé.*

87. — 16 avril 1276. — « Innocentius, episcopus, servus servorum Dei.. decano et capitulo S. Urbani Trecensis.. Splendor paterne glorie (*repetit bullam supra* n. 67). Datum Laterani, XVI kal. maii pontificatus nostri anno primo. » — *Origin. scellé.*

88. — 5 novembre 1276. — « Johannes, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio.. decano Laudunensi.. Quia nimis excresseret audacia plurimorum.. » Les chanoines de Saint-Urbain étant victimes de plusieurs injustices « discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus predictis decano et capitulo oportuno favoris assistens presidio, non permittas eos contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice ab aliquibus molestari; molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.. presentibus post triennium minime valituris. Datum Viterbii, nonas novembris pontificatus nostri anno primo. » — *Origin.* La bulle était sur cordes de chanvre.

89. — 7 décembre 1276. — « Johannes, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio.. cantori ecclesie de Chableio.. Quia nimis excresseret audacia plurimorum (*ut supra* n. 88). Ouvrir une enquête et faire restituer « dilecto filio nostro Anchero, tituli S. Praxedis presbytero cardinali, patrono S. Urbani Trecensis, omnia bona direpta, cum fructibus perceptis medio tempore.. Datum Viterbii, VII id. decembris pontificatus nostri anno primo. » — *Origin.*

90. — 31 mars 1277. — *Inventaire.*

Reverendissimo in Xpisto patri et specialissimo et singulari domino suo A[nchero], divina providentia tituli Sancte Praxedis presbitero cardinali, A. de Sarreio, decanus, totumque capitulum ecclesie Beati Urbani Trecensis ejus clerici humiles et devoti devotissimum manuum osculum cum omni reverentia et honore et orationes in Domino Jhu Xpisto Salvatore nostro. Noverit vestra reverendissima paternitas, quod nos anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, prima die mercurii post festum Resurrectionis Domini ostendimus et tradidimus venerabilibus viris D. decano et magistro Johanni Garsie canonico Trecensi, mandatum super hoc a vobis habentibus, ut dicebant, res que inferius nominantur et continentur. Statim nobis, pretextu dicti mandati, easdem res restituerunt, tradiderunt, et deliberaverunt, quo facto, nos prestitimus ad requisitionem eorum, tactis sacrosanctis Evangeliis, juramentum quod dictas res non alienaremus, nec pignori obligaremus, nec alia bona que dicta ecclesia ad presens habet vel habebit ex donatione vestra, vel alterius cujuslibet fidelium, vel ex quacumque alia causa in futurum, nisi casibus a jure permissis, et rogavimus dictos decanum et magistrum Joannem ut sigilla sua una cum sigillo nostro presentibus apponerent in testimonium premissorum; et nos predicti decanus et magister Joannes

ad requisitionem dictorum decani et capituli sigilla nostra una cum sigillo suo duximus presentibus litteris apponenda.

Hec sunt res de quibus superius habetur mentio et subsequenter integre et fideliter nominantur.

§ I. — *Hec sunt jocalia ecclesie Beati Urbani Trecensis a reverendissimo patre domino Anchero, tituli Sancte Praxedis presbitero cardinali, destinata et per manus viri discreti domini Ade, ejusdem ecclesie decani, ipsi ecclesie liberata, qui etiam decanus eadem tulit de Lugduno.*

Primo unam cuppam argenteam, deauratam, cum coopertorio et vaissello de corio bullito, et intus quamdam pissidam ad Eucharistiam recondendam de jaspe.

2. Item duo candelabra argentea *Marion* et *Robechon* nominata.

3. Item duo candelabra magna argentea.

4. Item quoddam scrinium de ligno rubeum, ferratum de letunno seu cupro aurato.

5. Item quoddam vaissellum cristallinum cum pede et coopertorio de argento deauratis, cum quibusdam reliquiis intra repositis.

6. Item duos bacinos argenteos.

7. Item duas ampullas argenteas.

8. Item unum thuribulum argenteum.

9. Item quamdam pissidam eburneam.

10. Item unam crucem auream cum pede argenteo deaurato.

11. Item unum scrinium de corio bullito, in quo sunt tria privilegia exemptionum ipsius ecclesie continentia.

12. Item dua paria litterarum regis Navarre, et alia sex paria litterarum.

13. Item unam touaillam cum acu operatam.

14. Item ducentas libras Turonenses, ex debito regis Navarre, predicte ecclesie debitas, et a dicto decano per manus fratris Simonis de Valle receptas.

15. Unam capsam de cristallo cum pedibus argenteis.

16. Item dua auricularia cum touaillis.

17. Item unum calicem argenteum deauratum.

§ II. — *Item hec sunt jocalia penes canonicos ecclesie Beati Urbani Trecensis in scrinio quod habent in thesauro ecclesie Beati Stephani Trecensis reposita seu reperta, cujus claves habent magistri Feliseus et Jacobus.*

18. Primo parva crux aurea cum lapidibus preciosis et pellis cum pede argenteo.

19. Item bursa ad reponendum corporalia.

20. Item quedam touaillia rubea sirica.

21. Item unus calix lapidatus cum plactena similiter lapidata.

22. Item unus parvus calix aureus cum patena similiter aurea.

23. Item unum altare portatile.

24. Item una situla argentea ad Aquam benedictam.

25. Item sigillum argenteum.

26. Item una stola cum manipulo denodata.

27. Item stola cum manipulo imaginatis de rubro et albo.

28. Item una capa chorialis valde cara cum imaginibus aureis levatis.

29. Item una stola cum manipulo cum immaginibus coronatis.

30. Item una stola cum manipulo cum immaginibus mistratis.

31. Item una stola cum avibus a parte sinistra et immaginibus a parte dextra.

32. Item tres cappe.

33. Item una casula, tunica et damatica crocei coloris.

34. Item tres cappe virides cum casula tunica et damatica ejusdem coloris.

35. Item tres cappe rubee cum casula, tunica et damatica ejusdem coloris.

36. Item duo panni sericei.

37. Item unum privilegium super exemptione ecclesie.

38. Item brachium beati Urbani.

39. Item due custodes regulate.

40. Item due touaille albe.

41. Item unum manipulum auro textum.

42. Item tres amitti.

43. Item due touaille parate ad cornu altaris.

44. Item unum scrinium cum litteris super exemptionibus reddituum confectis.

45. Item unum scrinium cum capite beati Danielis, et capite unius virginis de numero XI Millium Virginum.

46. Item tres albe parate.

47. Item casula cum tunica et damatica crocei coloris.

48. Item casula nigra cum tunica et damatica ejusdem coloris.

49. Item casula deaurata.

50. Item unum scrinium cum actis contra abbatissam et moniales Trecenses et magistrum Johannem Garsie (1).

51. Item tria paria cortinarum.

52. Item pannus quem rex Theobaldus dedit.

53. Item alter pannus quem Hanequinus, vester camerarius, dedit.

54. Item quatuor cortine stantes desuper sedes.

55. Item duas custodes et unam, a parte posteriori sericas, pro parte regulatas.

56. Item unum pannum sericum cum immaginibus leonum.

57. Item una touallia cum acu operata ac etiam perforata.

58. Item duodecim albe cum amictis : quarum quinque sunt parate, residue non.

59. Item tria paria stolarum cum manipulis.

60. Item duo antiphonaria in quatuor voluminibus.

(1) Il avait livré au comte de Champagne certaines lettres (Cfr. n. 74).

61. Item tria gradualia: duo nova et unum vetus.

62. Item duo salteria et unum vetus.

63. Item unum breviale pauci valoris et modice utilitatis in duabus partibus.

64. Item unum volumen Evangelicum, et aliud Apostolicum.

65. Item duo missalia.

66. Item unum martirologium.

67. Item unum legendarium per annum.

68. Item duo rocheti tantummodo.

69. Item unum cincinnerium.

70. Item sex candelabra : quatuor cuprea et duo ferrea.

71. Item unum magnum tapicetum gal[...] duo et unum alium parvum.

§ III. — *Item hec sunt que asportavit frater Johannes, de Lugduno.*

72. Unum thuribulum parvum argenteum.

73. Item duas touaillas sericas deauratas.

74. Item duas custodes.

75. Item unum manutergium.

Datum ut supra. — *Origin.* deux sceaux pendant à double queue en parchemin : celui du chapitre de Saint-Urbain, et celui du doyen de la cathédrale de Troyes; celui de Jean Garsie est détaché de la lemnisque.

91. — Juillet 1277. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Clarellus Faber, civis Trecensis.. vendidisse decano

et capitulo ecclesie S. Urbani quamdam plateam Trecis in Vico Medio juxta plateam Custancii Loreii ex una parte, et juxta plateam Stephani de Luxovio ex altera » chargée de « IIII denariis censualibus reddendis monialibus B. Marie, et XXV solidis annui redditus reddendis Petro dictus de *Corcegré*, civi Trecensi.. pro XXV libris bonorum turonensium » payées comptant « Maria, filia Clarelli, hoc laudavit.. Actum anno Domini M° CC° LXX° septimo, mense julio. — *Origin.*

92. — 30 août 1277. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Huetus, filius Stephani de Boilliaco, et Margareta ejus uxor.. vendidisse decano et capitulo S. Urbani II solidos censuales super magnis Halis Cathalaunensibus ad caput Draperie, per quam itur ab ecclesia S. Johannis ad vicum de Buchetis.. pro XL solidis turonensium » payés comptant. « Actum anno Domini M° CC° LXX° septimo, die lune post Decollationem beati Johannis Baptiste. » — *Origin.*

93. — « 1er février 1278. — Nicolaus, episcopus, servus servorum Dei diectis filiis decano et capitulo ecclesie S. Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis.. Personas et ecclesiam vestras (*repetit bullam* n. 69). — Datum Rome apud S. Petrum, kal. februarii pontificatus nostri anno primo. » — *Origin.*

94. — Octobre 1279. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Galterus *li Chapeliers*, et uxor ejus » abandonnent « decano et capitulo S. Urbani quamdam plateam Trecis in Vico Medio.. Actum anno Domini M° CC° LXX° nono, mense octobri. » — *Origin.* — « J. Marg.. » greffier de l'Officialité.

95. — 27 août 1281 — 6 février 1281 (*v. st.*).

Universis presentes litteras inspecturis Johannes, miseratione divina Trecensis episcopus, salutem in

Domino. Noverint universi quod mensis est elapsus a die qua litteras Apostolicas recepimus quarum tenor talis est :

Martinus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum decani et capituli ecclesie Sancti Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit propositum coram nobis, quod, licet ecclesiam ipsam quam felicis recordationis Urbanus papa, predecessor noster, a fundamentis erexit in ea honorabile canonicorum collegium ordinando, exemptionis privilegio et aliis diversis indulgentiis sit per Sedem Apostolicam decorata, tamen apud eam cimiterium benedictum non habetur, quare predicti decanus et capitulum nobis humiliter supplicarunt ut circa eamdem ecclesiam in loco ipsius ecclesie mandaremus cimyterium benedici, sepulturam ipsius ecclesie fore liberam decernendo. Quocirca paternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, infra unum mensem post receptionem presentium, auctoritate nostra cimiterium ipsum, juxta predictam ecclesiam in loco ad hoc congruo, benedicas, sine juris prejudicio alieni ; et nichilominus postquam dictum cimiterium juxta presentis mandati nostri tenorem fuerit benedictum, sepulturam ecclesie predicte libram esse eadem auctoritate decernas, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nullus obsistat, salvis tamen justitia et quolibet alio jure illarum ecclesiarum a

quibus mortuorum corpora assumentur. Alioquin venerabili fratri nostro episcopo Antissiodorensi nostris damus litteris in mandatis ut ipse ex tunc super hoc mandatum Apostolicum exequatur, contradictores per censuram Apostolicam, appellatione postposita, compescendo, non obstante si aliquibus a predicta Sede indultum existat quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi.. Apud Urbem Veterem VI kalendas septembris pontificatus nostri anno I°. (*Origin. scellé.*)

In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° LXXX° I°, die veneris post festum Purificationis beate Marie Virginis. — *Origin.* sceau brisé sur lemnisques de parchemin.

96. — 27 août 1281. — 10 décembre 1282.

Universis presentes litteras inspecturis G[uillelmus], Dei gratia Antissiodorensis episcopus, salutem in Domino. Noverint nos anno Domini M° CC° LXXX° II°, die jovis post festum beati Nicholay hyemalis apud Sanctum Audoenum juxta Sanctum Dyonisium Parisiensis diocesis litteras summi pontificis recepisse sub hac forma :

Martinus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Antissiodorensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum deceni et capituli Sancti Urbani Trecensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis (*ut*

supra n. 95 *usque* decernendo). Unde venerabili fratri nostro episcopo Trecensi nostris damus litteris in mandatis, ut ipse infra unum mensem post receptionem ipsarum litterarum auctoritate nostra cimiterium ipsum juxta dictam ecclesiam in loco proprio ad hoc congruo benedicat, sine juris prejudicio alieni, et nichilominus postquam dictum cimiterium (*ut supra usque* assumentur). Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus episcopus mandatum nostrum in hac parte neglexerit adimplere, tu illud ex tunc exequi non omittas contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo (*ut supra*). Apud Urbem Veterem, VI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo. — *Origin. scellé* sur cordes de chanvre.

In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno et die predictis. — *Origin.*

97. — 6 octobre 1281. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Girardus dictus Berruyerius, civis Trecensis, vendidit quibusdam procuratoribus ecclesie S. Urbani Trecensis, ad opus ecclesie predicte, pro certa pecunie quantitate, de qua eidem Girardo extitit satisfactum, III solidos et III obolos annui et perpetui census, portantis laudes et ventas.. super quadam domo Trecis in Vico Medio; quam domum Huyardus dictus *Bouchins* vendidit ut dicitur procuratoribus antedictis.. Actum anno Domini M° CC° LXXXI, die lune ante festum beati Dyonisii. » — *Origin. scellé.* — « Richardus » greffier de l'Officialité.

98. — 11 août 1282. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Philippus, filius Nicholai de Clauso » cède à titre d'échange « Ade, decano, et capitulo S. Urbani duas partes medietatis Hale de Ypra.. Actum anno Domini M° CC° LXXX° secundo, die martis post festum B. Laurentii. — *Copie* tirée du Cartul. fol. 62.

99. — 24 août. — « Officialis Autissiodorensis » il notifie que « Stephanus de Chableyo, et Juliana, uxor ejus.. vendidisse decano et capitulo S. Urbani.. pro pretio LX librarum pruvinensium » payées comptant « terciam partem Hale de Ypra ante Magnam Macecrariam.. Actum anno Domini M° CC° LXXX° secundo, in die festi S. Bartholomei. » — *Copie* tirée du Cartul. fol. 62.

100. — 23 novembre 1282. — « Officialis Trecensis » il notifie que « Maria Margueronna, et Jaquetus dictus de Leodio, fratres, liberi defunctorum Stephani de Leodio et Blanche Golerie, quondam uxor dicti Stephani, cives Trecenses » abandonnent « decano et capitulo S. Urbani » tout ce qu'ils ont « juris, actionis, proprietatis, saisine » sur les biens vendus à la collégiale par Petrus Baptizatus » et sur les biens vendus autrefois par Blanche, leur mère, « Reginaldo, canonico Trecensi, defuncto.. pro precio XXX librarum turonensium » payées comptant. « Actum anno Damini M° CC° LXXX° secundo, die lune in festo S. Clementis. » — *Origin.*

101. — Février 1282 (*v. st.*). — « Officialis Trecensis » il notifie que « Johannes Nicholai, custos nundinarum Campanie, et Catharina, uxor ejus » donnent à Saint-Urbain « titulo eschangii, IV libras et X solidos turonensium redditus annui, et V solidos census portantis laudes et ventas in domo sita ante Cambia » pour une maison appartenant à Saint-Urbain « que domus sita est subtus Domum Ligneam.. Ac-

tum anno Domini M° CC° LXXX° secundo, mense februario. » — *Origin.*

102. — Mars 1282 (*v. st.*). — « Hermina priorissa, Isabellis de Sancto Fidolo cantrix, Gila thesauraria, Aalipdis de Longavilla subpriorissa, Agnes de Cantualaude infirmaria, Amelina de Flavigniaco eleemosinaria, Aalipdis de *Baaçon* quondam priorissa B. Marie ad Moniales Trecenses.. sede abbatiali vacante » et les religieuses ne pouvant élire une abbesse parce qu'elles sont excommuniées « et nunciate ut dicitur excommunicate, pro manifesta offensa, scilicet, pro injuriis, dampnis, gravaminibus et excessionibus decano et capitulo S. Urbani et eorum ecclesie illatis (n. 60 et 61) »; et pour les même faits « condampnate per executores domini Pape ad restitutionem predictorum dampnorum injuriarum et excessum » à payer « C marchas argenti predictis decano et capitulo S. Urbani » par provision, en attendant un arrangement définitif : elles promettent de payer cette somme et de fournir des cautions valables. « Datum et actum anno Domini M° CC° LXXX° secundo, mense marcio. » — Cette pièce se trouve à sa date parmi nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

103. — Mars 1282 (*v. st.*). — « Officialis Trecensis » il notifie l'acte de caution fourni à Saint-Urbain par Notre-Dame-aux-Nonnains (cfr. *supra* n. 102). Theobaldus de Fayaco, tannator, filius defuncti Johannis *Friquant*; Perrinetus dictus *li Noirs* de Fayaco, tannator, filius defuncti Johannis de Pontibus; Jaquetus de Seleriis, filius defuncti *Chevalier* de Alba Terra, gener Blanche de *Courcegré*; Coutelinus, talementarius, filius defuncti Couteleti de Champigneio; Lambertus de Selcriis, cordubernarius, filius defuncti Johannis Majoris, commorantis Trecis; et Isabellis de Monte Albano, relicta Johannis Garneri.. Quilibet in solidum promiserunt reddere et solvere predictas C marchas argenti ad restitutio-

nem dampnorum, injuriarum et excessuum decano et capitulo S. Urbani illatorum.. sub conventionibus infrascriptis, videlicet, quod abbatissa in dicto monasterio creata, infra annum tractatu habito » entre Saint-Urbain et Notre-Dame-aux-Nonnains « de pace reformanda super hiis que una pars ab altera petere potest ; si pax fuerit infra dictum annum inter partes reformata » les cautions « erunt a dicta obligatione penitus liberati.. magister Galterus, archidiaconus S. Margarete in ecclesia Trecensi, et Petrus de Onjione, curatus ecclesie S. Remigii Trecensis » sont nommés par les parties « ut dicitur ad moderandum dictam pecunie quantitatem C marcharum argenti » s'il y a lieu, « et ad pronunciandum per quam partem steterit quominus pax inter ipsas partes fuerit reformata. Datum et actum anno Domini M° CC° LXXX° II°, mense marcio. » — *Origin.*

104. — 24 mars 1282 (*v. st.*). — « Decanus ecclesie S. Stephani, delegatus a domino Papa datus ad absolutiones impetrandas malefactoribus ecclesie S. Urbani Trecensis, et impedientibus Tyrensis archiepiscopi ne cimiterium ecclesie S. Urbani benedicatur.. » il accorde, moyennant les promesses de satisfaction rapportées plus haut (n. 102-103) l'absolution de l'excommunication aux religieuses de Notre-Dame-aux-Nonnains et à leurs complices. « Datum anno Domini M° CC° LXXX° secundo, die mercurii post dominicam qua cantatur *Oculi mei.* — Cette pièce se trouve à sa date parmi nos *Chartes de Notre-Dame-aux-Nonnains.*

105. — 26 juin 1283 — ... 1283.

Universis presens transcriptum inspecturis Ancherus, miseratione divina tituli Sancte Praxedis presbiter cardinalis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos anno Domini M° CC° LXXX°

tercio, indictione XI[a], die sexta.. litteras inferius annotatas, sigilli domini Ade, decani capituli, domini G., archidiaconi Sancte Margarete in ecclesia Trecensi, magistri Jacobi Parvi, magistri Johannis dicti Fabri, et Johannis de Trecis, canonicorum ecclesie S. Urbani Trecensis ut prima facie apparebat sigillatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas vidimus in hec verba :

Reverendo in Xpisto patri ac domino Auchero, Dei gratia tituli S. Praxedis presbitero cardinali, Adam, decanus, totumque capitulum sue secularis ecclesie S. Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, subjectionem et reverentiam debitam.. Paternitati vestre notificamus, nos, salubri ductos consilio, zeloque devotionis inductos, ad honorem ecclesie vestre nostreque prefate unanimiter statuisse seu statuta fecisse sub forma que sequitur : In nomine Domini, amen. Nos Adam, decanus, totumque capitulum secularis ecclesie S. Urbani Trecensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, attendentes quod, licet in ecclesia predicta sit [nunc] duodecim canonicorum numerus institutus, decens existere quod ad cultum divini nominis ampliandum, capellanorum, clericorum, matriculariorum ceterorumque servitorum officio, sive sint clerici sive laici, prefata venerabilis ecclesia decoretur ad fidelium animos excitandos. Et ne procedente tempore subrepat inter nos propter hoc, aut inter nos et alios, materia questionis eo jure et modo quo melius possumus statuimus et ordina-

mus, et nos bona fide promittimus inviolabiliter observaturos in posterum nostrosque successores.. Deo adjuvante.. quod reverendus in Xpisto pater dominus Ancherus, tituli S. Praxedis presbiter cardinalis, quem patrem prefate ecclesie recognoscimus et patronum, in eadem ecclesia instituat officium aliquod aut officia aliqua de premissis, sive sit capellania, sive sit matricularia, sive portaria seu quocumque alio nomine censeatur, sive sit clerico sive laico conferenda ; ad ipsum dominum cardinalem, quandiu vixerit, collatio libere pertineat cujuslibet officii et beneficii de premissis quod constituendum duxerit aut fundandum ; et post ejus obitum ad solum decanum, qui pro tempore fuerit decanus ecclesie supradicte. Si vero quevis alia persona ecclesiastica vel secularis fundaverit in eadem ecclesia vel instituerit officium vel beneficium aut aliquod ex premissis, officii et beneficii noviter instituti collatio quandiu fundator vixerit ad ipsum pertineat fundatorem, et post ejus obitum ad decanum, qui pro tempore fuerit, et capitulum ecclesie supradicte. In cujus rei testimonium, ad rei perpetuam firmitatem, nos prefati decanus et capitulum sigilla nostra propria una cum sigillo capituli nostri presentibus duximus appendenda. Datum et actum apud Trecas anno Domini M° CC° octuagesimo tercio, sabbato post festum B. Johannis Baptiste. Quapropter paternitatem vestram suppliciter obsecramus quatinus, ut statuta prefata plenum robur obtineant, pium eisdem vestrum prebeatis assensum, eadem

confirmando eademque similiter statuendo. Ut autem nos omnes in premissis statutis et supplicatione presenti vestra noscat paternitas convenisse, sigilla nostra propria una cum sigillo capituli nostri presentibus duximus apponenda. Datum et actum apud Trecas anno Domini M° CC° octuagesimo tercio, sabbato post festum B. Johannis Baptiste.

Quod autem vidimus hoc testamur, et in hujus rei testimonium [presentes litteras fieri] fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum in Urbe Veteri, anno et die predictis, pontificatus vero domini Martini pape quarti anno tercio. — *Origin.*

106. — 10 janvier 1284.

